VITT. EMANUELE

1703

Si qua fata sinant.

6-52-C-25

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROM.
8
52 C
25

# TRACTATUS MORALIS,

*TITULOS*

Pro promovendis ad Eccleſiaſticos Ordines,

*EXPENDENS,*

Juxta noviſſimam Conſtitutionem Sanctiſſimi D.N. INNOCENTII XII. Quæ incipit: *Speculatores Domus Iſraël.* Pridie Nonas Novembris, M.DC.XCIV. expeditam.

*Quam ad unguem tranſcriptam in principio reperies.*

AUCTORE

REV. P. Fr. JOSEPH MORENO

Ord.SS.Trinitatis Redempt. Captivorum, Provinciæ Áragoniæ Numerali Mag., aç Ex-Definitore, Academiæ Cæſar-Auguſtanæ Theologiæ Doctore, necnon Archiepiſcopatus Cæſar-Auguſtani Synodali Examinatore.

ROMÆ, Ex Typographia Antonii de Rubeis, propè S. Sylveſtrum de Capite in via Vitis. MDCXCIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

*Reverendiſſimo P.N. ac Domino*

# FR. JOSEPH DE TOLEDO,

In Sacra Theologia Magiſtro, Illuſtriſs. Hiſpaniarum Nuntii Theologo, ac Examinatori, Majeſtatis Catholicæ Caroli II. à concionibus, Provinciæ utriuſque Caſtellæ, & Legionis Patri, totiuſque Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Majori, ac Generali Miniſtro.

N*ON æquè, imo minus, deflectit ingenia (* Reverendiſſime Domine *) volumina exarare, quam pro conſcriptis Hyperaſpiſtes excerpere: Etenim calamum Materiæ coaptando, Scriptoris muneri fecit quis ſatis; aſt pro Patrocinio eligendo, congruit, quod Opus Mœcenati conſentiat, talitèr quod nec ipſi obſiſtat, nec ut indignum inſenſare Patronum poſſit. Poſtrema hac ſpeculatione concuſſus, pavidus reſilebam, ne magnitudinem Tuam haccine Opella offunderem potius, quam offirmarem, quando quidem fas non eſt, Magna componere parvis. Sed faſtigium, quod Opella, ob ſuam exiguitatem, pertingere nec poteſt, reptando, fimbriam, ſaltem tuam rimari, non erubeſcit, auxilio fræta Magni illius Athanaſii Interpretis, qui has inter anguſtias obvolutus, humanitateque Mœcenatis recreatus, ſic prorupit:* Is liber ex ſtudiis tuis dedica Viro de te & omnibus ingeniis merito; qui in maximis fortunis humaniſſimus eſt; in ſummo faſtigio ſine fauſtu, in admirabili auctoritate non imperioſiſſimus, ſed indulgentiſſimus, cui nihil magis eſt in votis, quam omnium ordinum gratiam vel tenere, vel me-

mereri: Atque ita tempera tuam Dedicationem, ut nullas laudes, tametſi veriſſimas, ei adſcribas, unde viro gratiarum, & benevolentiæ ſtudioſiſſimo aliqua invidia, quam obique vitat, ſuboriri poſſit. *Te in maximis fortunis humaniſſimum experimur, in ſummo faſtigio ſine fauſtu ſuſpicimur, in admirabili auctoritate indulgentiſſimum conſpicamur: Viam huic Opellæ ſingulares hææ gratiæ pandant, & quæ ad maximam fortunam, faſtigium ſummum, admirabilemque auctoritatem, ut pote puerula, ſcandere non valet, ad Te, qua humaniſſimus, ſine fauſtu, indulgentiſſimuſque es, pervaſiſſe lætetur; atque hujuſmodi non ſolum adumbrata, verum & ad ſummum verticem exaltata glorietur: Verbi æterni exemplo, quod cum ad aſſumendam terrigenam naturam exinaniverit ſe, ut loquitur Paulus, exinanitione memoratam naturam ad ſupremum apicem evexit. Quidni ſi ſcopum Opuſculi intueamur? Enim vero Tibi dicandum non nemo ſententiam dicet. Noviſſimam Decretalem Sanctiſſimi pariter, ac Zelantiſſimi* Innocentii XII. *pro promovendis ad Primam Clericalem tonſuram, ulterioreſque Eccleſiaſticos Ordines pervolvit, quamque zelo veterem diſciplinam reficiendi, ac abuſibus, fraudibuſque aditus integre occludendi, edidit, imo fulguravit. Zelum Apoſtolicum nedum æmularis, verum, ſi fas eſt dicere, inſternis, cum Regularem Obſervantiam; peſſundari fraudibus juſtitiæ æquitatem ob velari, non conſentias, abuſuſque rigidiſſimè aborres, & excreas. Ad hæc, Cœnobia temporum injuria ferê collapſa, Tua liberalitate ſplendidius inſtaurata congaudent. Proloquantur omnia ferê utriuſque florentiſſimæ Caſtellæ Provinciæ, quæ aut Te Hæxarcum non meruere, aut munificientiam Tuam experta, conclamant: Sed ante cætera Matritenſe, in quo, ut innumera ſilentio prætercam, memorabile, ac retro actis ſæculis haud auditum, extitit,*

*tit, quod baſtiſſima Turris, ingenti mole reſiſtente, pendula, Te jubente, deſtitit, ut Turres, Arceſque in aëre extruere, hyperbolicum aliis, Tibi jam jam minime ſit. Nomenclatura Tua ſatis id præſagiente, cum* JOSEPH, *qui augmentum ſonat, &* TOLEDO, *qui Hiſpano Sermone, Anagramateque perfectiſſimo dicit*, LE DOTO, *conjunctim prænuntient, quod ad omne Religionis augmentum Noſtræ ſuperi Te dotarunt, inque ejus ſupremo faſtigio evexerunt: ut Te Paſtore doxologiis efferat, quod de quoddam Eccleſia prælucido Ordine Pontificium intonuit Oraculum*: Hic enim fons eſt hortorum irriguus, cæteras irrigans Religiones, & Ordines, ac exemplis ſalubribus ſcaturitans. Hic eſt fons amænus varietate virtutum, præclarus munditiæ puritate, pietate patens, indeficiens ſanctitate, horum meritorum illuſtratus, ita nomen fontis ampliavit, ut fluvius eſſe cenſeatur, cujus profeſſio laudabilis de virtute progrediens, ut Deum deorum in Sion videat, Univerſalis Eccleſiæ lætificat Civitatem, in qua per meritorum evidentiam, claræ lucis ſplendorem adeptus, quaſi ſtella matutina refulget in medio nebulæ mundi hujus. *Omnip. Max. Deus* Reverendiſſimam Perſonam Tuam *incolumem protegat: ut quæ ſingulari omnium plauſu orſus es, majori cum gloria expleas, perficias. Sic exopto, ſic exoro, ſic expecto. Ex hoc tuo Cæſarauguſtano Collegio, octavo idus Januarii* 1698.

Rev.me Pater ac Domine,

Reverendiſſima veſtigia tua deoſculatur minimus ſubditus ac filius.

*Fr. Joſeph Moreno.*

*APPRO-*

# APPROBATIO

*D. Ludovici Rocamora*, U. J. D. *in Univerſitate Valentina*, *necnon in Metropolitana Sede Præpoſiti*.

EX Commiſſione muneraria D. D. Joſephi Garcia de Azor, Altipontis Archidiaconi in Segobricenſi Cathedrali, Metropolitanæ Valentinæ Præpoſiti, ac pro Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D. D. Fr. Joanne Thoma â Rocabertî, Archiepiſcopo Valentino, & Inquiſitore Generali, Officialis, Vicarii, & Gubernatoris Generalis, Librum, ſeu Tractatum Moralem admodum R. P. Magiſtri Joſephi Moreno, Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, in Univerſitate Cæſarauguſtana Doctoris Theologi, Archiepiſcopatus Cæſarauguſtani Examinatoris Synodalis, Conventus Turolenſis Ex-Miniſtri, ac Provinciæ Aragonum ex Difinitoris, quo Sacramenti Ordinis Legitimos titulos laborioſo Commentationis Congiario redegit, percurri non ſolum ex injuncto munere, ſed grato etiam, attentoque animo aſſulatim, & Lubens expumicavi. Opus hoccine, quod nec ira Jovis Aulici nec Alaſtorum nunquam innocens ignis, nec poterit edax abolere vetuſtas, ingenuê fateor, ſanê pulchrum, ſpecioſum, illuſtre. *Namquê omnibus rebus* (ut Ennodii verbis utar) *quæ æſtimantur digna præconiis*, *exbibenda eſt pro dicendi facultate Laudatio*, *ab eloquentiæ dote radiantibus reddenda ſunt litteris*, *quæ debentur*. Nihil â Fide, rectiſve moribus abſonum in eo; imô, ſi doctrinarum, atquê reſolutionum, quas continet, utilem varietatem exactê perpendas, quæ maturioris judicii, & omnigenæ Litteraturæ virum prodit, dignum quidem non ſolum approbatione, ſed laude eximia, atquê admiratione videtur: præli utiquê dignum. Sic cenſeo, Valentiæ die 29. menſis Septembris. Anno â partu Salutifero 1697.

*Doctor Ludovicus Rocamora*.

| | |
|---|---|
| Imprimatur. | Imprimatur. |
| *Dr. Garcia de Azor.*<br>*Vic. & Gub. Gnl.* | *Eleutherius Torres*,<br>*R. F. Advocatus*, |

*D. Didaci Franco de Villalba*, *Juris utriuſque in Cæſarauguſtana Accademia Doctoris*, *ac in Regiis Aragonum Conſiliis Cauſarum Patroni*.

DOlebam expectatione ſuſpenſus, accuſabam Auctoris modeſtam hæſitationem, editionis gloriam averſantem; ſed jam lucis auram prodit hoc opus, in cujus laudem, nec adulatio quid efingat inveniet, nec veritas hæc habebit quo vincatur. Nam cum Gloſſatoris Officium ſit:[a] *Obſcura diſſerere*, *manifeſta perſtringere*, *& in dubiis immorari*, ut inquit D. Hieronymus, omnia iſta adimplevit is Auctor, decurrens in expoſitione exacta, & conſona verbis Pontificiæ Conſtitu tionis, dicendo probus, excogitando acutus, proponendo ingenioſus, conſulendo prudens, reſolvendo

a In Procem. lib. 2. Ep. ad Galat.

do maturus, & in omnibus Doctiſſimus. Quis quis hactenus proprium, ac genuinum Apoſtolici Reſcripti ſenſum omnino percipere non poterat: Quis quis excederet: Quis quis dubitaverit circa Praxim illius: huc huc accedere obſecro, ubi Tractatus iſte, Decreti Pontificii obſcura differit, manifeſta perſtringit, & in dubiis immoratur.

Opus ſane in quo maxima ſapientia redolet, & mira apparet dexteritas, quæ etiam de alio volumine celebratur. [b] Nihil miror, *neſcit inde naſci mediocre, tot probati libri, quot editi:* ut ajebat Caſſiodorus. Sic ergo omnibus de hoc ſecundo ſuggeram illud Virgilii:

*——— Primo avulſo non deficit alter*
*Aurus & ſimili frondeſcit Virga metallo*
*Ergo alter veſtiga occulis, & rite repertum*
*Carpe manu.*

[c] *Neque concipere aut edere, hujuſmodi partus, mens poterat, niſi ingenti flumine litterarum* inundata, ut ex Plinio refert Solorzanus.

Tantas igitur ingenii opes in Sacrorum Ordinum ſuſceptionem, & elargitionem, dicatas, prælo digniſſimas judico, [d] *librum hunc Eccleſiæ hoc maximè tempore incredibiliter profuturum.* Cenſeo & ſpero. Itaque deprecor:

[e] *Vivat ut æternus, totoque legatur in Orbe.*

*Dr. Didacus Franco de Villalba.*

b Lib. 3. Var. Ep. 6. c In Præf. ad lib. 1. de Jur. Indiar. d D. Marcelin Ep. 4. ad Auh. e Mart. lib. 6. Ep 69.

## *FACULTAS ORDINIS.*

NOS Fr. Joſeph de Toledo, in Sacra Pagina Candidatus, Illuſtriſſimi Hiſpaniarum Nuntii Theologus, ac Examinator, Majeſtatis Catholicæ à Concionibus, necnon Major ac Generalis Miniſter totius Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, Per præſentes facultatem, quatenus ad nos pertinet, impertimur, P. Magiſtro Fr. Joſeph Moreno, Provinciæ noſtræ Aragoniæ filio, in Academia Cæſarauguſtana Doctori Theologo, Cæſarauguſtani itidem Archiepiſcopatus Synodali Examinatori, atque in præfata Provincia jam Diffinitori, ut Typis mandare valeat Librum à ſe elaboratum, cujus titulus inſcribitur. *Tractatus Moralis, titulus pro promovendis ad Eccleſiaſticos Ordines, expendens, juxta Decretalem nuper à Sanctiſſimo Patre, ac Domino noſtro Innocentio XII. emanatum.* Conſtitit enim nobis relatione graviſſimorum Theologorum quibus illum commiſſimus nihil in eo contineri, fidei Catholicæ, probis moribus, Decretis Summorum Pontificum, Politiæ Regali abſonum. In quorum fidem præſentes expediri juſſimus, noſtra manu conſcriptas, Sigillo noſtri Officii ſignatas, ac per infraſcriptum Noſtrum Secretarium ſubſignatas. Dat. in Conventu noſtro SS. Trinitatis Matritenſi, idibus Septembris. Anno à Virgineo Partu 1697.

Mag. Fr. Joſeph de Toledo Miniſt. Generalis.

Mandato RR. P. N. ac D. Miniſtri Generalis.

*Præſentatus Fr. Placidus Gomez de Vega, Generalis Secretarius.*

AVE

# AVE MARIA.

*Approbatio RR. P. N. Fr. Petri de la Regata, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum in utriuſque Caſtellæ Provinciæ, ac Muſæo Vallis-Oletanæ in Sacra Pagina Candidati in eodemque Primarii Theologiæ Anteceſſoris Jubilati, Cænobii Vallis-Oletanæ iterum, iterumque Moderatoris, anteà iſtæque Provinciæ, ex Præſule, Parentis.*

JUSSU Reverendiſſimi P. M. Fr. Joſephi Fauſti à Toledo Regii Concionatoris, Examinatoris Illuſtriſs. Dñi pro Hiſpaniarum Regnis Apoſtolici Legati, ejuſdem Theologicis in dubiis, à Conſiliis, Totius inde Sacræ SS. Trinitatis Redemptionis Captivor. Ordinis Miniſtri Generalis ac Domini, quempiam perlegi venuſtiſſimum Tractatum ad mores, moreque Sapientiſſimi Auctoris tractatum, cujus inſcripta frons eſt: De legitimis Titulis Sacramenti Ordinis, juxta Reſcriptum SS. D. N. Innocentii XII. Opifice Reverendo admodum P. Mag. Fr. Joſepho Moreno, ejuſdem noſtræ almæ Religionis Alumno, in Collendiſſima, ac numquam Satis Laudatiſſima nobis Provincia Tarraconenſi digniſſimo Exdefinitore, Auguſti Epiſcopatus Cæſarei Synodali Cenſore, & tandem, non ſolum inter numeratos noſtrates Magiſtros albiſſimo apice inſignito, verum etiam in celeberrima Academia Cæſar-Auguſtana candidiſſimo Pileo decorato.

Superiori, inquam, obtemperavi in legendo præcepto, ſed imperium fateor eſſe gratiſſimum id præcipere, quod proſequentis voluntati aſſentatur. Imperium ſuave dulce, & diſertum, imò tali conſentaneum Parenti, Subditis id jubere, in qua obediendo meretur, ac obedientia ipſa obedientia remuneratur. Meritum modo fuit obdedienter legere prœmium autem ultra condignum fuit Laudabilem hunc pluries Tractatum lectitare. Fas ergo ad tantum ſit Opus de quodam, ac tam Volumine egregiam illam Salviani ſententiam Epiſt. ad Euſtach. Vindicari: *Legi Librum, quem tramſmiſiſti, ſtillo brevem, doctrina uberem, lectione expeditum, inſtructione perfectum*. Sic ille Maſiliæ Præſul, ſic ego ad Opus eiſdem honoramentis prædictum, numeriſque omnibus abſolutum.

Stilus Operis eſt brevis, ſed doctrina gravis; mirandum maximè eſt in tanto materiæ apparatu ad Laconicas poſſe ſtrictiſſimas anguſtias reduci. Liber eſt doctrina fertiliſſimus, & ſic providè dubiis difficilimis, quæ erga tale decretum menti obvenire poſſunt, occurrit, ut nihil prorſus maneat dubitandum, quod ſub tenebris relinquat ad reſolvendum: omne ſalebroſum iter incluſum, & ſpinis difficultatem obſitum, tenuiore quoddam ( ut ſic dicam ) ſabulo facit planum. Certi, & incerti, ænigma humana omnis cogitatio eſt, quia numen illud ſupernos infuſum, reflexus caligine offuſcat terrenus, ſed ut Edipus novus nullam definit Enigmaticam Eſphingem, quam clariſſimam non edat in lucem, Præclarum eſt præconium Divini Artificis

Gen.

Gen. 1. quod tenebras à luce ſeparavit, ergo maxima commendatio noſtri Sapientiſſimi Authoris, quod diviſit lucem à tenebris. Doctrina inſuper non eſt inſidianda, ſed tuta, nec jota quidem invenies à Lege deviari, nec unum apicem à Canonicis Conſtitutionibus, à noviterque ſtatuto Decreto, præterire.

Commendat ſane hoc Opus Authoris ſtudium undequaque maximum: Non tranſcribit, ſed ſcribit, non ttansfert Author, ſed docet, cum ferè omnes difficultates, quas percurrit, intactas ab his, qui æticam Theologiam egerunt, perſpicies, quaſque ab aliis didicit, eatenus verſatur, ac Decretali Sanctiſſimi Innocentii accomodat, quod jam non alienas, ſed quaſi proprias Author conficiat. Eruditiſſimum Petrarcham immitatus, qui non apis ſolummodo, ſed & ſerici vermis induſtrias in Scriptoribus apprimè commendat; Illa etenim, quæ ex floribus mella legit, in dulciſſimos transfigurat favos: Hic totam ſericam ſupellectilem ex proprii pectoris fonte eructat, ſic fatur Petrarcha: *Illud affirmo elegantioris eſſe ſolertiæ, ut apium imitatores noſtris verbis, quamvis aliorum hominum ſententias proferamus, felicius quidem non apium more paſſim ſparſa colligere, ſed quorundam haud multo majorum vermium exemplo, quorum ex viſceribus ſericum prodiit: ex ſe ipſo ſapere potius & loqui*, lib. 1. Epiſt. 7. eleganter ad rem, non modo noſtri Authoris penna inſtar apis Floribus ſugentis favos diſtillat, verùm etiam illius ad modum induſtrioſi vermiculi ex ſe producit Opus, quod laborat.

Authorem equidem ex Opere eſſe mirandum, ſed Opus, ni fallor, ex Authore mirabilius. Quis non miratur unum in tantis, ac tam diverſis deditum hominem, & ſic prædictum in omnibus, ſicut in ſingulis? quis non prædicat hominem mirabilē ſingulis facultatibus ita communem, & ſimul omnibus ita ſingularem? Si Scholaſticum deſideres, ita perfectè Theologiæ profunda arcana adæquavit, ut ſi ſoli Theologiæ operam dediſſet. Si ad aſperrima Scripturæ loca devenias, ejus acumine prava ſunt indirecta, & aſpera in vias planas. Si ſpectes Concionatorem, invenies Eccleſiaſtem, neque dumtaxat doctrinæ graviſſimo pondere, ſed & orationis elegantiſſimo modulamine. Si dubius recurrat animus ad moralia, eccine Opus iſtud, & alia prælo jam ab ipſo Authore commiſſa, ſapientiam ejus, atque magnoperè eruditionem commendant. Verum aſpice mirandum, omni doctrina præclariſſimè excultum, litteris quam optimè perpollitum, univerſali laurea Sophiæ decoratum. Veritatis ignarum, ac eximiæ eruditionis ſtudioſum. Mirandum, inquam, virum, nec audactèr dicam vulgarem hominem; nam etſi homo ad laborem, non ad tantum valet laborem homo. Dilectiſſimus conſpiciebat Joanne, Venuſtum Angelum ſibi colloquentem, habentemque *pedem dextrum ſupra mare, ſiniſtrum autem ſuper terram*. Apoc. 1. 2. ſed inſolita cognitio, & ſuperans humanam cogitationem. In quo cognovit Joannes ſpeciem Angeli, ſi habebat ipſe pedes inſtar hominis? Spiritus omninò immateriales non habent corporeas partes, ut pedes. Abſit à Joanne dilecto inconſiderata cognitio: agnovit quidem Angelum non ex pedibus, ſed ex eorum diſtantiſſimo ſitu, unum habebat in mari, alterum firmabat in terra. Quid terra cum maris pelago profundiſſimo? Quid mare cum terra vaſtiſſimo cen-



tro?

tro? Ergo Angelus, infert illuminatus Joannes, namque ſolus Angelus adeò valet diverſis incumbi curis, ac muneribus. Sic ille, ſic noſter Sapientiſſimus Author: ergo natura ſanè dicam hominem, ſed quia tam diverſis intentum, non dicam hominem ſed Angelum.

Nec ut corpore exiguum Opus inæſtimandum, ſed certè magni habendum; Non eſtimabilis ſapientibus prolixitas, ſed pretioſitas, non follia, ſed fructus quærit, qui fructus facere ambit. Sæpè ſolita eſt (ut animadvertit Plinius lib. 1. cap. 2.) conſuetudo naturæ in rebus minimis claudere induſtriosè maxima. En tota lux micantis ex lumine ſolis ad unicum, atque exiguum contracta corpuſculum adamantis; qui adamentem non deſpicit fulgentiſſimum, ardentius hoc ambiet micantiſſimum Opus: *Nec comparavi illi omnem lapidem pretioſum. Apoc.* 7. 3. Præſtantiori quidem omnibus pretioſis lapidibus. En breviſſima concha abſcondit ſupremus Antifex Deus pretioſam margaritam, exiguam corpore, eximiam pulchritudine: Qui hunc Tractatum videt, pretioſam margaritam invenit, ergo ſtudioſus negotiator ſapientiæ, *inventa una pretioſa margarita, vendit univerſa quæ habet, & emit eam. Matth.* 13. Eſter. 10. 6. *Ille parvus fons in lucem, Solemque converſus eſt:* quid parvitas fontis, quem Author edit in lucem, ſi totum reperias Solem? Solem, inquam, mentis tenebras extollentem, ut ducat à veritate aberrantem.

Qua propter non ignarus, ſed conſcius aliorum Operum, quæ noſter Author præmanibus habet, jam finem anxius facio verbis illis Mantuani ad Mirandulanum Doctorem Epiſt. ad Mirandulan. *Legi tanta animi voluntate, quanta luculenta ſplendet, quanto amore, & reverentia ejus Auctorem proſequatus ſum, ſed eam legendo, dum cupio ſedare ſitim, ſitis altera crevit: Deſiderium ſcilicèt videndi reliquum.* Unica dicam voce hoc Opus dignum encomio alia, deſiderio. Sic opinor, & exiſtimo, ſalvo meliori, ut Typis debet mandari pro ſtudentium utilitate, & novi Reſcripti pleniſſima intelligentia: In hoc noſtro Conventu Vallis-Oletanæ, die 24. Januarii anno Domini 1698.

*Mag. Fr. Petrus de la Regata.*

# *Studioſo Lectori.*

EA eſt Supremi Numinis manus, ut lapillum valeat, ſine manibus, in excelſum excreſcere montem, cujus indolem ſectatur ejus in terris Vicarius, cum Lucubrationum harum exapla materia, quæ hactenus apud Auctores æthicos veloci calamo percuſſa animadvertes, eo quod Supremi Numinis Vicarius, Innocentius ſcilicet XII. vigilantiſſimo zelo titulos pro promovendis ad Eccleſiaſticos ordines, manum, contra tot fraudes, abuſuſque nova ſua Decretali, poſuit, eô uſque illæ creverunt, quod pleniſſimum Tractatum de memoratis titulis compleant: quas fortê non ſolùm inutiles, verum & otioſas judicabis: Etenim cum prædicta Pontificis prædicti Decretalis ad Illuſtriſſimos dirigatur Prælatos, in quibuſque maxima omnium ſapientia ſplendet, ut pote Eccleſiæ Doctores, quique alios inſtruere tenentur, ut luculentêr reſpondit Conſtantinus Cypri Præſul, relatus *in cap. convenientibus*, § *Item Conſtantinus*, 1. *q.* 7. ibi: *Non oportet nos, qui Epiſcopi ſumus, indicere doctrina, ſed aliorum eſſe Doctores*. Quid ergo præſenti Tractatu opus eſt?

Fateor ſummam in Illuſtriſſimis Prælatis ſcientiam; ſunt enim verò Eccleſiæ Militantis ſplendiſſima lux, quibuſque in ea ſtantibus, dici valet, quod de Triumphanti Eccleſia Joannes intonuit, *non egent ſole, neque Luna*. Apocalip. 21. 23. Sed tamên eſtô maxima ſapientia poleant, ob multitudinem ſubditorum, ad illam, ut fas eſt, diſtribuendam, vires non ſuppetunt: Qua de cauſa *in cap. inter cætera* 15. *de officio Judicis Ordinarii*, Dominis Epiſcopis indicitur, quod ad eorum munia, quæ ob impotentiam exercere non valent, viros aſſumat idoneos, ad ipſorum officium ſalubritêr exequendum. Quare præſens Tractatus non ad inſtructionem Prælatorum tendit, id enim non ſolum otioſum, verum nefas, & inexpiabile crimen foret. Dirigitur itaque ad Promovendos, ut ſciant, qui, poſt præſentem ſanctiſſimi Innocentii Conſtitutionem, ſint legitimi tituli, nec horum ignorantia, fraude, aut dolo ad ſuos vel alienos Prælatos accedant, hiique vacuos & ſine honore abjiciant. Cum itaque Sanctiſſimi Innocentii Conſtitutio adverſus fraudes, abuſuſque in promotionibus ſtabilita conſtet, fraudeſque, ex parte promovendorum ſupponatur, hos præſens reſpicit Tractatus, ut perſpectum habeant quibus pœnis ſubjaceant, contra ædictum præfatæ Decretalis, ordines ſuſcipiendo, hocque modo à fraudibus omnino ſe abſtineant machinandis. Nec item intentum eſt prædictam Conſtitutionem exponere, aut ex profeſſo interpretari, ſed inſpectis ipſius diſpoſitionibus, controvertere, qui tituli ſint ad promotionem legitimi, quorumve ſit cauſa damnata, licèt verum ſit, quod vix hæc valebimus, quin aliquando mentem Pontificis rimari compellamur, eamque juxta Sacros Canones, doctrinaſque magis receptas interpretari, doctrinalitêr tamên, & merê probabilitêr, quam ſi non attigiſſe aliquando compertum fuerit; ex nunc lubens, retracto, & refuto. Dividitur præſens Tractatus in ſex Quæſtiones, quarum quatuor primæ de titulis pro ordini-



bus

bus ſuſcipiendis, ordine, quo in præcitata Conſtitutione exarantur, expen-dunt. Quinta de Inquiſitione ab Illuſtriſſimis Prælatis facienda. Sexta de Pœnis contra male promotos fulminatis. Sed ut dubia, quæ in qualibet Quæſtione excitantur, brevius caleas, oportet, quod Pontificiam diſpoſitionem, attentê perlegas, ideoque ante ſingularum Quæſtionum excitationem, Particulas, integras, circa ejus materiam verſantes iterum tranſcribimus. Perplures haudque minimas difficultates per invia, ac ſine duce reſolutas deprehendes, ad quod novitas ipſa materiæ compulit, cum ab Auctoribus, quos viderim, excitatæ non reperiantur. Utinam in meliorem partem ſolutas comperias, id ſaltem in votis fuit, ut ſecurius ad Eccleſiaſticos ordines aſcendas, quod ſi conſecutus ſum, Numini gratias referas, cum omne donum deſurſum ſit, ſin minus ſiniſtrum repereris, Auctori deferas. Qui ita Cenſuræ Sanctæ Eccleſiæ, judicioque prudentum Opus ſubmittit, ut quæ ipſis exoſſa appareant, quaſi non ſcripta ultrô, iterumque refellit. Vale, & Opuſculo iſto fruere, interim dum alia, tum Moralia, tum pro Concionibus apta, præfulcio, ac in ordine colloco.

SAN-

# SANCTISSIMI D. N.

# D. INNOCENTII

## Divina providentia PAPÆ XII.

### Conſtitutio, qua plura declarantur, ac præſcribuntur pro tollendis abuſibus, & fraudibus circa Ordinationes alienorum ſubditorum.

*INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI Ad perpetuam Rei memoriam.*

SPeculatores Domus Iſrael, quæ eſt Sancta Dei Eccleſia, per ineffabilem Divinæ Boniatis abundantiam conſtituti, eô potiſſimum ab ipſis Pontificatus Noſtri primordiis Paſtoralis vigilantię noſtræ ſtudia convertenda eſſe duximus, ut, qui in ſortem Domini vocantur, ſacriſque addicuntur miniſteriis, quippê quos irreprehenſibiles eſſe convenit, ut præeſſe valeant corrigendis, ac in quos tanquam in ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt quod imitentur, tales ſint, qui dignê poſſint Dominica Sacramenta tractare, ac ædificent cunctos, tâm fidei ſcientia, quâm operum diſciplina. Sanê hoc inito conſilio, non alios, quantum fieri poteſt, quam qui in ſanctitate, & juſtitia, per ordinatiſſimos Eccleſiaſticæ Militiæ gradus, ſtatis intervallis ambulaverint, ac piê, & fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, ad Sacerdotium aſſumi, ſacraſque ordinationes, juxta priſcum Eccleſiæ morem, præſcriptis â jure temporibus orationi, & jejunio conſecratis, haberi cupientes, ſeveriorem quandam in concedendis Indultis ſuſcipiendi ſacros Ordines extra tempora hujuſmodi, & interſtitiis ad id deſignatis minimê ſervatis, ultro Nobis propoſuimus adhibendam rationem; qua videlicêt ſervata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam diſciplinæ Sacerdotalis honor non probatis minimê tribuatur, nec unquam heri ſacrilegi, hodie Sacerdotes, heri prophani, hodie ſacrorum Antiſtites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, diſcipuli ſimul, ac Magiſtri pietatis creentur, ſed ii tantum, juxta conſtitutas â Majoribus, Leges, ab humili gradu fidelis Populi ad ſacrarum adminiſtrationum ſublimitatem promoveantur, qui poſt mutatum habitum ſæcularem diuturna converſatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ poſtmodum alios docere tenentur; Cœterum per ea ipſa indulta, quæ ſuper præmiſſis parcius quidem, ac ex certis tantum, & magis rationalibus cauſis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione pænitus improbata, ſalutarem illam, quam ſacri Generalis Tridentini Concilii Decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum, niſi illis, quos Epiſcopi pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum aſſumendos judicaverint,

 præſcri-

præſcribunt diſciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimô nec unquam ad Indulta hujuſmodi exequenda Epiſcopos ipſos arctare, ſed illorum executionem arbitrio ſemper eorumdem Epiſcoporum, quorum conſcientias hac in re ſtrictiſſimê oneratas voluimus, prorſus relinquere declaravimus; ſperantes in Domino eos, qui, juxta Apoſtoli monitum, nemini citô manus imponendas eſſe probê norunt, ſibi, & univerſo gregi attendentes, in quo eos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei, reverenda ipſis ſpiritibus Angelicis miniſteria ab hominibus ſine conſideratione apprehendi numquam permiſſuros, nec temerè præripi paſſuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promeretur. Omnes inſuper, & ſingulos cujuſcumque tandem gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, quibus hujus Sancti Sedis gratia ſacros Ordines præfatos extra eadem tempora conferendi, vel aliis ut illos ſic conferre valeant, indulgendi poteſtas fieri conſuevit, cum divinos Ordines largiri diſtricti ſemper eſſe judicii oporteat, ſerio monitos voluimus, ut præſcriptos ſibi deſuper in ſuis quique facultatibus terminos religiosê cuſtodiant, nec eos cujuſvis conſuetudinis, aut exempli prætextu ullatenus tranſgrediantur. Verum quo impenſius Apoſtolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc intendimus, eo majori cum animi noſtri dolore ex quam plurimum Venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in diverſis Regionibus exiſtentium delatis ad Nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, ſacrilega ſcilicêt illorum impudentia in dies creſcente, qui propriæ ſalutis immemores, Clericales ordines ſibi forſan â propriis Præſulibus denegatos, ſeu quos, aliquibus canonicis ſibi obſtantibus impedimentis, denegari meritô verentur, ab alienis Epiſcopis, non quæ JESU Chriſti, ſed eas, quæ ad ipſos non pertinent Oves, in animarum ſuarum perniciem quærentibus, nec tot canonicas damnationes contra uſurpantes alienæ plebis hominem latas perhorreſcentibus, abſque ſuorum Prælatorum commeatu, hoc eſt dimiſſoriis, commendatitiiſve eorum literis deſtituti, quinimô eis inſciis, & ſæpê etiam invitis, ſub minus legitimis Beneficii Eccleſiaſtici, Originis, Domicilii ſeu etiam familiaritatis, ac continuo Ordinantium Epiſcoporum commenſalitatis quæſitis titulis, in ſacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitimê ſuſcipiunt, atque ita non intrantes per oſtium, & nihilominus Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, ſacrificium in ſacrilegium convertunt; judicium abſque miſericordia ſibi conſciſcunt, Deoque mini me placentes, & tamen placare velle præſumentes; non modô eum non placant; ſed magis irritant, dum videntur in cordibus ſuis dicere: non requiret. Hinc eſt quod Nos ex commiſſæ Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere, abuſus, fraudes, ac ſcandala hujuſmodi penitùs, & omninô ê medio tollere, ac irreligioſam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compeſcere, & reprimere volentes, necnon fel. re. Urbani VIII. contra malê ordinantes, & malê ordinatos, quæ incipit: Secretis, aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum, ac etiam conciliaribus hac in re editis Conſtitutionibus, & Ordinationibus inhærentes, il-

laſque

laſque quoad ea, quæ præſentibus non adverſantur, quatenus opus ſit innovantes; de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ejuſdem Concilii Tridentini Interpretum, qui quæcumque antehac ſuper præmiſſis ab ipſorum Cardinalium Congregatione in particularibus caſibus edita decreta, declarationes, ſeu reſponſa ad earundem præſentium limites reducenda eſſe cenſuerunt, conſilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei Gloriam, Eccleſiæ utilitatem, veteris diſciplinæ inſtaurationem; totiuſque Chriſtiani Populi ædificationem. Hac generali noſtra, & perpetuò valitura Conſtitutione, decernimus, & declaramus, nulli Epiſcopo, ſeu cujuſvis loci Ordinario, tametſi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi ratione Originis, ſeu Domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitimè contracti non Subditum ad Clericalem tonſuram promovere, cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici ei ſtatim ac tonſura hujuſmodi inſignitus fuerit conferendi, ſeu ad quod is â Patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit, prætextu, etiamſi Beneficium prædictum de novo ea expreſſe adjecta lege fundatum fuiſſe conſtiterit, ut quis immediate poſt Clericalem characterem ſuſceptum ad illud inſtituatur: Prætereâ Clericum, qui legitimê jam â proprio Epiſcopo ad eamdem Clericalem tonſuram, ſeu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo ratione, ac titulo cujuſcumque Beneficii in illius Diœceſi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, niſi ante eorumdem ſuſceptionem Teſtimoniales litteras proprii Epiſcopi, tam originis, quam Domicilii ſuper ſuis Natalibus, ætate, moribus, & vita ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo Ordinanti in actis illius Curiæ conſervandas, exibuerit. Licêt vero Clericus ratione cujuſvis Beneficii in aliena Diœceſi obtenti ſubjici dicatur Juriſdictioni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt, eam tamen de cætero hac in re inconcuſſe ſervari volumus Regulam, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem ad effectum ſuſcipiendi Ordines acquirere cenſeatur, niſi Beneficium prædictum ejus ſit reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem ſive juxta Taxam Sinodalem, ſive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad Sacros Ordines detractis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab ordinando pacificê poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi quod defecerit fructibus ejuſdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diœceſi obtineret, ac Epiſcopus ſic Ordinans, tam de prædictis Teſtimonialibus Literis, quam de reditu Beneficii hujuſmodi expreſſam in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione, mentionem facere debebit. Cæterum ſubditus ratione Originis is tantum ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit, ex accidenti, occaſione nimirum itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanētiæ ejus Patris in illo loco, quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantum, & naturalis Patris origo, erit attendenda: Quod

ſi

ſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas Teſtimoniales, ut ſupra obtinere; illaſque Epiſcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum Teſtimonio ſimiliter recenſendas, præſentare teneatur. At ſi Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiû, ac eo animo permanſerit, ut inibi verê Domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo Patris, ſed Domicilium per Patrem legitimê, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejuſdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione Domicilii ad effectum ſuſcipiendi Ordines is duntaxat cenſeatur, qui, licêt alibi natus fuerit, illud tamen adeò ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis Ædibus in locum hujuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuô ibidem permanendi animum demoſtraverit; & nihilominus ulterius utroque caſu ſe verê, & realiter animum hujuſmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen â propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius affici, etiam Ordinarii ſuæ originis teſtimoniales literas, ut ſupra, afferre debebit, ac de illis expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum Literis facienda erit. Adhæc nullus Epiſcopus alienæ Diœceſis Subditum Familiarem ſuum ad aliquos Sacros, ſeu Minores Ordines, vel etiam primam tonſuram promovere, ſeu ordinare præſumat, abſque ejus proprii originis ſcilicèt, ſeu Domicilii Prælati Teſtimonialibus literis, ut ſupra, & niſi ad præſcriptum Concilii Tridentini præfati ſeſſ. 17. cap. 9. De Reform. Familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit; Beneficium inſuper, quod ei ad vitam ſuſtentandam, juxta modum ſuperius præfinitum, ſufficiat, quacumque fraude ceſſante, ſtatim, hoc eſt ſaltem intra terminum unius menſis â die factæ ordinationis, re ipſa illi conferat, ac in Ordinationis hujuſmodi Teſtimonio expreſſam itidem familiaritatis, ac literarum prædictarum mentionem facere teneatur. Porrô, ut quibuſcumque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apoſtolica Authoritate ſtatuimus, atque decernimus, ut Epiſcopus quilibet ſuos ratione originis, ſive Domicilii Subditos Clericos quoſcumque ab alienis Epiſcopis quavis authoritate, etiam cum ſuis commendatitiis literis promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini ſupradicti ſeſſ. 14. cap.3. De Reformat. quoad ſcientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum teſtimoniales literas, gratis tamen, recognoſcere, ac diligenter perquirere an quoad illos præſentis Conſtitutionis forma, & diſpoſitio adimpleta fuerit aſſingnato ſic promotis termino competenti ei magis bene viſo ad docendum de ejuſmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapſo, id minimê præſtitiſſe compererit, â ſuſceptorum Ordinum exercitio, ſi ita, & quandiù ei expedire videbitur, ſuſpendere, illiſque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine miniſtrent, interdicere poſſit. Ita vero præmiſſa omnia, & ſingula

gula

gula perpetuô, ac inviolabiliter obſervari; atque adimpleri volumus, ut ſi quid in iiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſecus fiat, Ordinans quidem â Collatione Ordinum per annum, Ordinatus vero â ſuſceptorum ordinum executione, quandiû proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit, aliiſque inſuper gravioribus pœnis pro modo culpæ noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitio infligendis uterque ſubjaceat: Decernentes pariter eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimê, & inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Cardinales etiam de latere legatos, ac Sedis prçfatç Nuncios, alioſve quoslibet quacumque prçeminentia, & poteſtate fungentes, functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione, Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum experimerentur, & infererentur, nihil penitûs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, eiſdem præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxât ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentes Literæ in Valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut mos eſt, publicentur, & affigantur, ſicque publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindê arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent: Quodque earumdem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem proſus fides, tâm in Judicio, quâm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninô hominum

liceat

liceat hanc paginam noſtrorum Decretorum, Declarationis, Voluntatis, Statuti, & Derogationis infringere, vel auſu temerario contrahire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto, Pridie Nonas Novembris, Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

B. Card. Prodatarius. J. F. Card. Albanus.

Viſa de Curia J. Sacripantes.

*D. Ciampinus.*

Loco ✠ Plumbi.

*Regiſtr. in Secretaria Brevium.*

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU Chriſti milleſſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto, Indictione ſecunda, die ſexta menſis Novembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Dñi Noſtri Domini Innocentii Divina Providentia Papæ XII. Anno Quarto, ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Eccleſiæ S. Jo: Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Thomam Orlandum ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſorem.

*Franciſcus Antonius Simoncellus Mag. Curſ.*

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*Domin. Belliſar. de Bellis Epiſc. Melphecten. Viceſg.*

IMPRIMATUR,

Fr. Gregorius Sellari Mag. & Socius Reverendiſs. P. Fr. Paulini Bernardini Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

AVE MARIA

# TRACTATUS MORALIS DE SACRAMENTI ORDINIS LEGITIMIS TITULIS.

## PROOEMIUM.

SÆCULARIBUS ad Ordines promovendis, triplex ſuffragatur titulus, videlicet, *Origo*, *Domicilium*, ac *Beneficium*, *cap. cum nullus*, *de temporib. ordinat. in 6.* his addendus ex Trident. *Seſſio 23. de Reformat. cap. 9.* *Familiaritatis*, titulus, & de hiſce prædictis omnibus titulis in noviſſima Conſtitutione novam Legem condit Sanctiſſimus Innocentius XII. decernens qualiter prædicti tituli intelligendi, ut illorum intuitu Domini Epiſcopi ad Primam tonſuram, ulterioreſque ordines ſuos poſſint ſubditos promovere: In præſenti ergo Tractatu, veſtigiis ipſius Conſtitutionis inhærendo, difficultates, quæ ab ipſa emanare videntur, omiſſis aliis, elucidabimus, in medium prius proponendo, claritatis gratia, fragmenta, eo ordine, quo de quolibet titulo in præfata Decretali leguntur, in qua, reſpectu tituli Beneficii, ſic recitatur.

### TITULUS BENEFICII.

1. *NUlli Epiſcopo, ſeu cujuſvis Loci Ordinario, tamen ſi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi ratione originis, ſeu domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitime contracti non ſubditum ad Clericalem tonſuram promovere, cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici ei ſtatim ac tonſura hujuſmodi inſignitus fuerit conferendi, ſeu ad quod is à Patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit, prætextu, etiam ſi Beneficium prædictum de novo ea expreſſa adjecta lege fundatum fuiſſe conſtiterit, ut quis immediatè poſt Clericalem caracterem ſuſceptum ad illud inſtituatur.*

*2. Præterea Clericum, qui legitimè jam à proprio Epiſcopo ad eandem Clericalem tonſuram, ſeu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo ratione, ac titulo cujuſcumque Beneficii in illius Diœceſi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, niſi ante eorundem ſuſceptionem Teſtimoniales litteras proprii Epiſcopi tam Originis, quam Domicilii ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus & vita ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo Ordinanti, in actis illius Curiæ conſervandas, exhibuerit.*

*3. Licèt verò Clericus ratione cujuſvis Beneficii in aliena Diœceſi Obtenti ſubjici dicatur Juriſdictoni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt, eam tamen de cætero hac in re obſervare volumus Regulam, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem ad effectum ſuſcipiendi Ordines acquirere cenſeatur, niſi Beneficium prædictum ejus ſit reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem ſive juxta taxam Synodalem, ſive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab Ordinando pacificè poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi quod defecerit fructibus ejuſdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipſe ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diœceſi obtineret; ac Epiſcopus ſic ordinans tam de prædictis Teſtimonialibus litteris, quam de reditu Beneficii hujuſmodi expreſſam in conſueta collatorum ordinum atteſtatione mentionem facere debebit.*

Plura in præinſertis verbis præſcribuntur. I. Quod ſolus Epiſcopus proprius Clericalem tonſuram conferre valet: Nomine autem Epiſcopi proprii in præſenti intelligitur Epiſcopus originis, aut domicilii, promovendi, id eſt ubi promovendus verè, naturaliter, & non ex accidenti, natus eſt, aut ubi verè domicilium, & juxta ſtabilita in præſenti Conſtitutione, contraxit: Epiſcopus autem, cui Ordinandus ratione dumtaxat Beneficii, ſubjicitur, vocatur alienus, ſeu non proprius, qui nullatenus poteſt hujuſmodi ſubditum ad Clericalem tonſuram promovere, quamtumvis Beneficium pingue ſit: Unde ad Clericalem tonſuram Epiſcopus dumtaxat Originis, aut domicilii promovere valet, niſi promovendus ſit familiaris Epiſcopi, ut infra dicetur.

2. Quod ſicut Epiſcopus alienus, ſive Beneficii nequit ad

Cle-

Clericalem tonſuram promovere ſubditum ratione dumtaxàt Beneficii in ſua Diœceſi obtenti, ſi nequit ipſum ſubditum, jam à ſuo proprio Epiſcopo Clericali tonſura inſignito, ad ulteriores Ordines promovere titulo præfati Beneficii, non obtentis Teſtimonialibus Epiſcopi tam originis, quam domicilii: Unde qui ab una Diœceſi originem trahit, & in alia domicilium contraxit, ac Beneficium obtinet in altero Epiſcopatu, nequit in iſto promoveri, non obtentis prius Teſtimonialibus, natalium, ætatis, morum, & vitæ utriuſque Epiſcopi originis ſcilicet, & domicilii, nec ſufficiet ab unico dumtaxàt obtinere.

3. Quod Beneficium in aliena Diœceſi obtentum, ſubjectionem ad effectum ſuſcipiendi ordines minime tribuit, niſi ejuſmodi Beneficium per ſe, & detractis oneribus, ejus ſit reditus, ut ad congruam vitæ ſufficiat ſuſtentationem, juxta taxam Synodalem, vel ea deficiente juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines; id eſt, quod debent reditus prædicti Beneficii eſſe in ea quantitate, ut expleant quantitatem aſſignatam in Synodalibus pro promovendis ad Ordines Sacros: Unde Epiſcopus Beneficii nec ad minores Ordines poterit promovere illum, qui in ſua Diœceſi obtinet Beneficium, cujus reditus non attingunt Synodalem taxam; quia licèt hæc taxa in Synodalibus aſſignetur pro promovendis ad Ordines majores, non vero ad minores: præſens tamen Conſtitutio pro omnibus tollit ſubjectionem, non attingendo reditus Synodalem taxam, ut patet ex littera: Cumque ullus Epiſcopus valeat ſibi non ſubditum promovere, inde patet, quod nec ad minores prædictum Beneficiatum promovere valebit. Inſuper qui prædictum Beneficium obtinuit in aliena Diœceſi, debet illud pacificè poſſidere; & ſi fructus præfati Beneficii prædictam taxam non expleverint, nequeunt Domini Epiſcopi ſupplere Patrimonio, quodcumque iſtud ſit; ſublata enim eſt eis hujuſmodi poteſtas ſupplendi quidquid defecerit fructibus Beneficii quocumque Patrimonio.

Hæc ſatis per ſe manifeſta ſunt: Circa diſpoſitionem tamen contentam in verbis relatis *n.* 3. aliqua occurrunt dubia, quæ in quæſtione immediata proponentur.

# QUÆSTIO I.

## *Quale Debeat eſſe Beneficium, ut quis poſſit ad Ordines promoveri ab alieno Epiſcopo.*

CUM præſens Conſtitutio expoſtulet Beneficium obtentum in aliena Diœceſi, ut ab Epiſcopo alieno valeat, qui Beneficium obtinuit, ad ordines promoveri: ſtatim occurrit, quid intelligatur nomine Beneficii, Omiſſis generalibus, quæ paſſim à Doctoribus diſſeruntur, ea ſolum diſcutiemus, quæ attenta præſenti Conſtitutione, & juxta ejus mentem, controvertenda ſe offerunt.

DUBIUM I. *Utrum quin aliena Diœceſi obtinuit Beneficium, non habens alios reditus, præter diſtributiones, poſſit ab Epiſcopo talis Beneficii ad Ordines promoveri.*

4. BEneficia de quibus in præſenti ab aliis titularia, à Trullench *de percha* nuncupantur, nec reditus extant, vel quia à primæva erectione ipſis caruerunt, vel quia quamvis inſtituta ſufficientibus reditibus ad congruam Beneficiati ſuſtentationem, injuria temporum, vel omnes, vel ſaltem major pars redituum, perierunt, ita ut in talibus Beneficiis inſtituti ſolis diſtributionibus ad quas vi inſtitutionis habent jus, gaudeant, quaſque taxam Synodalem, pro promovendis ad Sacros Ordines, exæquare ſupponimus. De his ergo in dubium vertitur, an ſufficientem tribuant ſubjectionem, ut in ſimilibus Beneficiis inſtituti, ab Epiſcopo alieno ad Ordines promoveri valeant.

5. Reſpondeo affirmativè, dummodo ipſæ diſtributiones per ſe, vel adjunctæ reditibus Beneficii taxam Synodalem, vel morem Regionis exæquent. Ita Trullench *tom.* 3. *lib.* 6. *cap. unico dub.* 12. *n.* 8. Marchinus *de Sacrament. Ordinis tract.*2.*part.* & *cap.* 6. *difficult.* 5. *n.* 19. Barboſſa *in Concil. ſeſſio.* 21. *cap.* 2. *de reformat. num.* 8. & *in ſum. Bullar. V. ordinare* 3. Illuſtriſ. pariter ac Eruditiſſimus Pax Jordanus, *elucubratio*, *volum.* 1. *lib.* 3. *tit.*

6. *n.*

*6. n.* 318. ſubdens, quod ſi S. Congregat. declaratio, quam Garcia *de Beneficiis p. 2. cap. 5. n.* 100. adducit, diſtributiones complectitur, reſolutio noſtra ſit prorſus indubia. Ratio, quia præſens Conſtitutio SS. Innocentii ſolummodo expoſcit, quod Beneficium per ſe habeat ſufficientes reditus ad congruam vitæ ſuſtentationem, quos habere, inde patet, cum titulo Beneficii jus habeat Beneficiatus ad diſtributiones, veluti ad proprios Beneficii reditus. Confirmatur; nam ſi inter fructus proprios Beneficiorum ſimplicium diſtributiones minimè computarentur, vix invenirentur Beneficia, quibus promoveri, in eis inſtituti, ad ordines poſſent: ſunt enim pauciſſima, quæ ſine diſtributionum auxilio ad congruam ſufficientem pertingant.

6. Nec obſtat, quod diſtributiones non computantur in valore Beneficiorum, nec comprehenduntur ſub nomine fructuum, ut declaravit Rota *deciſio* 134. *ſive* 8. *de Præbend. in noviſſim. & deciſio.* 766. *alias* 39. *in antiquis.* Reſpondetur enim I. quod licèt non comprehendantur ſub nomine fructuum, comprehenduntur tamen ſub nomine redituum, ut cenſuit *Rota coram Coccino deciſ.* 144. *n.* 11. apud Barboſſam *de Appellat. verb. Appellat.* 231. *n.* 6. favetque ſatis *cap. Dilectus el 2. de Præbendis*, & præſens Conſtitutio in præſenti caſu reditus, & non fructus expoſcit. Reſpondetur II. quod nomine fructuum intelliguntur diſtributiones, quando Beneficium aliis fructibus caret, ſolumque diſtributionibus gaudet, ut docet Barboſſa citatus *Appel.* 103. *n.* 17.

7. Infertur hinc I. quod ſi diſtributiones vel per ſe, vel ſimul cum reditibus, quamvis modicis, Beneficii, taxam Synodalem non exæquant, Epiſcopum alienum non poſſe titulo talis Beneficii ſubditum alienum promovere, niſi defectus ita ſit modicus, quod pro non defectu reputandus ſit. I. pars conſtat ex littera, exigente Beneficium cum reditibus per ſe, & detractis oneribus, ſufficientibus ad congruam vitæ ſuſtentationem. II. pars inde conſtat, quia modicus defectus pro non defectu reputatur, *cap. de vera, de conſec. diſt. 2. leg. ſero, ff. de reſtitut. in integrum*; & in noſtro caſu docet Sanchez *Conſil. Moral. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub.* 35. *n.* 8. Quando verò defectus erit notabilis, vel modicus, Navarro *tit. de temporibus ordinat. conſil.* 17. Cen-

ſet

ſet defectum quintæ partis eſſe notabilem; quinimo dicerem in noſtro caſu defectum etiam ſextæ, aut ſeptimæ partis notabilem eſſe, quia cum Synodales limitatè congruam taxent, defectus etiam octavæ partis nequit pro non notabili reputari.

8. Infertur II. Quod licèt inſtitutus in prędicto Beneficio titulari, vi ſuæ erectionis non habeat jus ad diſtributiones, dummodò gratioſe ab aliqua Eccleſia inamiſſibiliter pro ejus vita admittatur, & aliàs prædictæ diſtributiones ſint certæ, vel non contingentes, taxamque Synodalem exæquent, poterit Epiſcopus alienus, alienum ſubditum promovere, idque ſatis apertè conſtat *ex cap. dilectus el* 1. *y* 2. *de Præbendis.* Tum etiam, quia cum prædictæ diſtributiones non ſint de natura Patrimonii, ſed verè; & rigoroſè ſint reditus Eccleſiaſtici, ut docet Moneta *de diſtributionibus quotidianis part.* 1. *quæſt.* 7. *num.* 5. *&* 6. Poterit Epiſcopus alienus eis congruam ſupplere, ſicque ſubditum alienum ad Ordines promovere.

DUBIUM II. *An qui in aliena Diœceſi obtinuit Beneficium tenue, poſſit ab Epiſcopo talis Beneficii ad Ordines promoveri, ſupplendo defectum altero Beneficio in eadem Diœceſi obtento.*

9. CAſus eſt talis: Obtinet Petrus v. g. in eadem Diœceſi aliena duplex Beneficium, quorum neutrum per ſe ſufficienti congrua pollet, ſed conjuncta excedunt, vel ſaltem Synodalem taxam exæquant, dubitatur, an Epiſcopus, in cujus Diœceſi Petrus prædicta Beneficia obtinuit, valeat unum altero ſupplere, & ſic ad ordines prædictum Petrum promovere.

10. Reſpondeo poſſe, ita in terminis præſentis Conſtitutionis docet Eruditiſſimus D. Lamperez, Metropolitanæ, ac Patriarchalis Hiſpalenſis Eccleſiæ Canonicus, in ſua *veteri diſciplina inſtaurata num.* 383. Ubi ſingulari acumine, incomparabili ſtudio medullam præſentis Conſtitutionis de verbo ad verbum explorat: opus ſanè omnibus numeris expletum. Reſolutio intelligenda venit, dummodo duplex Beneficium ſimplex ſit, perſonalemque reſidentiam ambo non expoſcant.

11. I. Pars probatur, nam licèt præſens Conſtitutio loquatur de Beneficio in ſingulari, & prædicta plura ſint, ſupponunt enim

enim diverſas Canonicas inſtitutiones, in ordine tamen ad finem in præſenti Conſtitutione intentum, pro unico, & eodem reputatur: finis enim præcipuè intentus eſt congrua ſuſtentatio ordinandi, cumque huic fini ea duo Beneficia tendant, vel ſaltem eorum fructus, hinc eſt, quod licèt Beneficia in ſe plura ſint, in ordine ad finem pro unico reputantur. Nec obſtat, quod in præſenti Conſtitutione non concedatur prædicto Epiſcopo facultas ſupplendi altero Beneficio; nam ſufficit, quod per præſentem Conſtitutionem non auferatur, illam enim DD. Epiſcopi jam habebant vi Tridentini *ſeſſio 24. cap. 17. de reformat.*

12. II. Pars conſtat, tum ex Tridentino nuper citato, non permittente duplex Beneficium, quando utrumque perſonalem reſidentiam exigunt. Tum quia, cum in utroque nequeat ſimul reſidere, deficienteque reſidentia in alterutro, fructus illius minimè valeat percipere, ſupplementum eſſet illuſorium, cum ſupplementum ſit factum ut congruam ſufficientem haberet, quam, non reſidendo, nullatenus perciperet. Hinc non videtur improbabile poſſe ſuppleri Beneficium tenue pluribus aliis Beneficiis in eadem aliena Diœceſi obtentis. De quo videndi Barboſſa *in præcitato cap. Concilii, præcipuè num.* 7. Lambert. *de Jure Patronat. part.* 1. *lib.* 2. *quæſt.* 7. *art. & num* 15. Maſobrius *in Praxi habendi Concurſum Requiſit.* 7. *dub.* 18.

13. Monet tamen, & optimè, citatus D. Lamperez *n.* 366. quod cum ſupplementum oporteat fieri uſque ad ſufficientem congruam, deductis oneribus, extrahendæ etiam ſunt penſiones impoſitæ in ipſis Beneficiis, eſto in his inſtitutus illis minimè conſenſerit, hoc eſt, quod congrua debet remanere integra, deductis penſionibus, & omni alio onere, hæc enim videtur mens præſentis Conſtitutionis; ſi tamen inſtitutus in prædictis Beneficiis cum ſufficienti congrua, & jam ad Presbyteratum præmotus, penſioni conſenſerit, ratione cujus congrua deficeret, non ideo pœnis præſentis Conſtitutionis irretiretur: hæc enim prædictam congruam, ut poſſit promoveri, ſolummodo expoſcit: ergo jam promotus, pœnas evadet. Sicut enim Patrimonio promotus, & poſt promotionem Patrimonium reſignans, ſuſpenſionem nullatenus incurrit, teſte Bonacina *de Sacrament. Ordinis, diſp.* 8. *quæſt. unic. punct.* 5. *n.* 25. *&* 26. Sic dicendum in noſtro

ſtro caſu. Verum ſucceſſor prædicti Beneficii ab Epiſcopo alieno, remanente penſione, in quam anteceſſor conſenſit, ad ordines promoveri non poterit; quia carens, ut ſupponimus, ſufficienti congrua, nec ſubditum alieni Epiſcopi ad effectum ordinum efficit, ac proinde ab ipſo promoveri non valebit.

DUBIUM III. *Num Epiſcopus Beneficii poſſit ſupplere Beneficio in aliena Diœceſi obtento*.

14. Dubio præcedenti manet exploratum, poſſe Epiſcopum alienum, Beneficium ſupplere Beneficio ſimiliter ab alieno ſubdito in ſua Diœceſi obtento, quæritur nunc, an poſſit dictus Dominus Epiſcopus ſupplere Beneficio id aliena Diœceſi obtento. v. g. Petrus cum ſit Originarius, ac in domicilio Epiſcopatus Burtinenſis, obtinet Beneficium in Epiſcopatu Oſcenſi, quod per ſe taxam Synodalem Oſcenſem minimè exæquat, ſimiliter idem Petrus obtinet aliud Beneficium in Epiſcopatu Illerdenſi etiam tenue ita ut neutrum ſeorſim taxam Synodalem pertingat, conjuncta verò Synodalem taxam explent: dubitatur, num Dominus Epiſcopus Oſcenſis poſſit Beneficium, quod Petrus obtinuit in ſua Diœceſi, & ſecundum ſe tenue eſt, ſupplere Beneficio ab ipſo Petro in Diœceſi Illerdenſi obtento, & ſupplemento expleto, rite ad Ordines promovere.

15. Ut reſpondeam, ſupponendum eſt tamquam certum, alienum ſubditum, qui in aliena Diœceſi obtinet Beneficium inferioris congruæ, ac non exæquantis Synodalem taxam ad effectum ſuſcipiendi Ordines nullatenus fieri ſubditum Epiſcopi illius Diœceſis, nec dictus Epiſcopus eſt Superior ad Collationem Ordinum. Hæc conſtant ex littera. Difficultas ergo in hoc dubio ea videtur, an ſicut præſenti Conſtitutione aufertur DD. Epiſcopis facultas promovendi alienum ſubditum, qui in ſua Diœceſi obtinuit Beneficium tenue, ſic ablata intelligatur ipſis Epiſcopis facultas ſupplendi ipſum Beneficium à Petro in ſua Diœceſi obtentum, altero Beneficio in altera Diœceſi ſimiliter obtento. Hæç enim facultates ſeparabiles ſunt, & optimè componi poteſt, quod prima auferatur, altera remanente. Sicut

enim

enim qui in aliena Diœceſi Beneficium obtinet tenue, non manet ſubditus illius Epiſcopi ad effectum ſuſcipiendi ab eo Ordines, manet tamen ſubditus ad alios effectus, viſitandi ſcilicèt, corrigendi, puniendi, &c. ut eruditè notavit D. Lamperez *n.* 464. Sic in noſtro caſu poterit Epiſcopus manere cum facultate ſupplendi dictum Beneficium, licèt non maneat cum facultate altera.

16. Dicimus ergo, ſalvo meliori, vi præſentis Conſtitutionis ablatam non eſſe DD. Epiſcopis facultatem ſupplendi Beneficium tenue, quod in ſua Diœceſi ſubditus alienus obtinuit, alio Beneficio, quod ipſe ſubditus in alia Diœceſi adeptus fuit. Probatur doctrina illa generali à Canoniſtis, & Theologis communiter admiſſa, ſcilicèt, quod DD. Epiſcopi in ſua Diœceſi poſſunt, quidquid Summus Pnntifex in tota Eccleſia valet, exceptis illis, quæ ſpecialiter ipſis Epiſcopis prohibentur; at dictum ſupplementum nullibi reperitur prohibitum; non Jure commnni, ut claret ex praxi hactenus obſervata ab ipſis DD. Epiſcopis: non vi præſentis Conſtitutionis.

17. Quod probatur, nam ſi prædicta facultas in præſenti SS. Innocentii Conſtitutione ablata fuiſſet Epiſcopis, vel eſſet in illa diſpoſitione in qua expoſcitur, quod ut quis fiat ſubditus Epiſcopi alieni ad effectum ſuſcipiendi ab eo ordines, debeat in ſua Diœceſi poſſidere Beneficium, quod per ſe ſit congruæ ſufficientis, vel in ſequenti, ubi Epiſcopo alieno aufertur poteſtas, ſeu facultas ſupplendi Beneficium tenue cum adjectione Patrimonii; ſed in neutra diſpoſitione aufertur facultas de qua diſputamus: ergo facultas ſupplendi dicta, nullibi reperitur DD. Epiſcopis prohibita, ergo poſſunt ſupplere.

18. Minor quo ad II. partem conſtat, in ea enim diſpoſitione Epiſcopis alienis prohibetur ſolummodo Patrimonio ſupplere; at Beneficium Eccleſiaſticum Patrimonium non eſt, ut eſt certo certius: ergo. Quod nec in I. diſpoſitione dicta facultas ſublata ſit, probatur; nam poſtquam in ea ſtabilitum fuit, quod obtinens Beneficium in aliena Diœceſi, ut intelligatur ſubditus illius Epiſcopi ad effectum ſuſcipiendi ab eo ordines, Beneficium debeat eſſe tale, quod per ſe ſit ſufficientis congruæ, pergit immediatè, & aufert prædicto Epiſcopo facultatem ſup-

plendi defectum congruæ cum adjectione Patrimonii, quod ipſe ordinandus in ipſa vel alia Diœceſi obtineret: ergo quia SS. Innocentius intellexit, quod non obſtante illo, quod antea dixit, ſcilicèt, quod ut Beneficium obtentum in aliena Diœceſi, efficiat ſubditum, debeat eſſe per ſe ſufficientis congruæ, remanebat adhuc in Epiſcopo alieno facultas ſupplendi defectum congruæ, adjiciendo Patrimonium, quod ipſe ordinandus poſſideret intra, vel extra ſuam Diœceſim.

19. Patet hoc, nam ſi ſtabilito, quod ut Beneficium efficiat ſubditum in aliena Diœceſi, debet iſtud per ſe habere ſufficientem congruam, in iſta diſpoſitione intelligeretur excluſa facultas Epiſcopis alienis ſupplendi cum adjectione Patrimonii, vel alterius emolumenti, fruſtra, pergeret ad tollendam facultatem ſupplendi cum Patrimonio; ſupponebatur enim jam ablata, & in diſpoſitionibus legalibus nihil ſuperfluum admittitur, ut docent communiter Juriſperiti: ſi ergo in prima diſpoſitione non aufertur Epiſcopis alienis facultas ſupplendi Beneficium tenue, quod alienus ſubditus in ſua Diœceſi obtinuit, altero Beneficio ab eodem ſubdito in altera Diœceſi obtento, ut manet probatum, evidenter ſequitur, nullibi in præſenti Conſtitutione ablatam eſſe ſimilem facultatem.

20. Modo ſic: ſemel ſtabilito in præſenti Conſtitutione, quod Beneficium non habens congruam ſufficientem per ſe, ſubjectionem non tribuit ad effectum Ordinum in aliena Diœceſi, ſemel hoc inquam ſtabilito, adhuc Epiſcopus alienus remanebat cum facultate ſupplendi cum Patrimonio, quod ipſe ordinandus poſſideret intra vel extra Diœceſim Beneficii præfati, ideoque hæc facultas in ſequenti diſpoſitione expreſsè aufertur: ergo potiori jure remanent DD. Epiſcopi in noſtro caſu cum facultate ſupplendi dictum Beneficium altero Beneficio, nunc iſtud poſſideatur in ſua vel aliena Diœceſi: Deinde nullibi reperitur hoc ſupplementum prohibitum, ſicut ſupplere Patrimonio, prohibitum, reperitur: ergo licèt Patrimonio nequeat Epiſcopus alienus Beneficium ſupplere, poterit tamen altero ſupplere Beneficio, etiam ſi iſtud extra ſuam Diœceſim poſſideatur, nam quod non eſt prohibitum, eſt conceſſum, *leg. nec non*, *§. quod ejus*, *ff. in quibus cauſis major*.

21. Ex his patet jam quid dicendum in dubio principali: dicimus namque, quod Epiſcopus alienus augens ſive ſupplens Beneficium tenue, quod Petrus pacificè poſſidet in illius Diœceſi, altero Beneficio, quod ipſe Petrus poſſidet in altera Diœceſi, idque poſſe ſatis demonſtravimus, poteſt etiam dictus Dominus Epiſcopus Petrum ad Ordines promovere. Ratio eſt, quia tali ſupplemento expleto, verificatur, quod Petrus in illa aliena Diœceſi poſſidet Beneficium congruæ ſufficientis, quod requiritur, ut efficiatur ſubditus illius Epiſcopi ad effectum Ordinum, ac perconſequeus poterit ab iſto ad Ordines promoveri.

22. Unde licèt Petrus poſſidens Beneficium tenue in duabus Diœceſibus alienis, nullius earum Epiſcopi, ad effectum Ordinum, ſecundum ſe efficiatur ſubditus, ſemel tamen quod unus illorum DD. Epiſcoporum unum altero Beneficio ſuppleat, efficitur jam illius, ad dictum effectum, ſubditus; gaudet enim Petrus in eo caſu ſufficienti congrua, ob cujus defectum, etiam ſi Beneficium ibi poſſideret, ſubditus ad Ordines minimè erat. Quodque clariſſimè explicatur in ipſo Petro poſſidente duplex Beneficium, quodlibet ſecundum ſe tenue, in eadem aliena Diœceſi: In hoc caſu neutrum Beneficium efficit Petrum ad ordines ſubditum illius Epiſcopi; at ſi Epiſcopus unum altero ſuppleat, poterit jam iſte Dominus Epiſcopus Petrum ad Ordines promovere, ut negabit nemo, & nos cum D. Lamperez vidimus ſupra *n.* 10. ſic ſimiliter, dicendum in præſenti caſu.

23. Nec obſtat I. Quod in præſenti caſu alterum Beneficium poſſidet Petrus in altera Diœceſi, in qua Epiſcopus ſupplens nullam habet Juriſdictionem; in caſu autem præcedenti utrumque Beneficium in eadem poſſidetur Diœceſi. II. Quod in præſenti caſu Beneficium ratione ſupplementi, & non per ſe gaudet congrua ſufficienti: at, ſecundum præſentem Conſtitutionem, Beneficium per ſe gaudere debet ſufficienti congrua, aliàs ſubditum ad effectum ordinum non efficit: ergo.

24. Ad I. enim reſpondetur, nihil obſtare, quod alterum Beneficium poſſideatur in altera Diœceſi, ut Epiſcopus, in cujus Diœceſi alterum poſſidet Petrus, ſuppoſito ſupplemento, poſſit ipſum Petrum ad Ordines promovere: ſicut enim

Epiſcopus Originis, aut domicilii promovere poteſt ſuum ſubditum Origine, vel domicilio ad Titulum Beneficii, in aliena Diœceſi obtenti, ut communiter fatentur Authores, ſic, & potiori jure, in noſtro caſu poterit Epiſcopus, ſuppoſito ſupplemento, Petrum promovere, licèt iſte alterum Beneficium in aliena Diœceſi poſſideat: Contendimus enim, quod ſupplemento peracto, & nullibi tali Domino Epiſcopo prohibitum, Petrus effectus eſt prædicti Epiſcopi ſubditus ad Ordines, cum ſupplemento peracto, jam poſſideat Beneficium cum congrua ſufficienti in ejus Diœceſi, nihilque amplius præſens Conſtitutio expoſcat.

25. Ad II. Reſpondetur, quod particula illa *per ſe* eo tendit, ut excludat mendicitatem in Beneficium poſſidente, hoc eſt, quod Beneficium tale ſit, ut illud poſſidens, mendicare minimè egeat: ut colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* Cumque Beneficium, quod alio ſuppletur Beneficio uſque ad congruam, per ſe occurrat mendicitati, per ſe etiam ad congruam vitæ ſuſtentationem ſufficiet, unde non excludit ſupplementum per alterum Beneficium, aut alios Eccleſiaſticos proventus, aliàs nec poſſent DD. Epiſcopi Beneficium tenue altero Beneficio, in eadem Diœceſi obtento, ſupplere, cum etiam in caſu iſto tale Beneficium non per ſe, ſed ratione ſupplementi reditus ad congruam vitæ ſuſtentationem miniſtret, & tamen contrarium diximus cum D. Lamperez *dub. præcedenti n.* 11. Cujus doctrina hic adaptari poterit.

26. Sed licèt hæc in rigore Juris vera videantur raro tamen ad praxim reducenda, niſi evidentiſſimè Domino Epiſcopo ſupplenti conſtet, redditus Beneficii in altera Diœceſi obtenti, nullo vitio laborare, aliter timeri poſſunt fraudes, quas in præſenti Conſtitutione Sanctiſſimus Innocentius vitare intendit.

DUBIUM IV. *An Supplemento cum Patrimonio ab Epiſcopo proprio peracto, poſſit alienus illum promovere, qui in ſua Diœceſi tenue Beneficium obtinuit.*

27. PROPRIO Epiſcopo nullibi prohibitum eſſe ſupplere cum adjectione Patrimonii Beneficium tenue, conſtat

ſtat, tum ex præſenti Conſtitutione, in qua ſolis Epiſcopis Beneficii, ſeù alienis id prohibetur, tum ex Tridentino *ſeſſio* 21. *cap.* 2. *de Reform.* ſi enim ibi conceditur propriis Epiſcopis, quod ad Titulũ Patrimonii ſuos ſubditos promovere poſſint, quamque facultatem in præſenti Conſtitutione illæſam SS. Innocentius ſervat, potiori jure Beneficium tenue ſupplere Patrimonio valebunt; cui enim conceditur, quod eſt plus, & quod minus eſt, conceditur, *cap. cui licèt de Reg. jur. in* 6. Hoc tanquam certum ſuppoſito.

28. Caſus, ad reſolvendum dubium, ſic poteſt figurari. Petrus cum ſit Originarius, & domicilium habens in una Diœceſi, obtinet Beneficium tenue in aliena, ratione cujus nequit ab Epiſcopo Beneficii promoveri, non enim prædicto Epiſcopo per tale Beneficium ad Ordines ſubjicitur, nec ipſe alienus Epiſcopus ſupplere Patrimonio valet, inquiritur, an ſi Epiſcopus proprius ſuppleat prædictum Beneficium Patrimonio, peracto tali ſupplemento ab Epiſcopo proprio, alienus poſſit ipſum Petrum ad Ordines promovere. Videtur quod ſic: nam Patrimonio ſupplere prohibitum eſt alieno Epiſcopo, non proprio: ergo ſemel expleto ſupplemento à proprio Epiſcopo, poterit alienus promovere, jam enim tunc poſſidet Petrus Beneficium cum ſufficienti congrua, & ratione cujus ſit ſubditus ad Ordines alieni Epiſcopi.

29. Sed oppoſitum tamquam certum tenendum eſt; quia cum ſupplementum factum per proprium Epiſcopum ſubſiſtere nequeat abſque ratihabitione Epiſcopi Beneficii, ipſaque ratihabitio ſit proprie Patrimonio ſupplere, quod Epiſcopo Beneficii abſolutè prohibitum eſt, inde etiam eſt, quod huic non ſolum eſt prohibitum per ſe ſupplere, ſed etiam per proprium Epiſcopum, quando ſupplementum proprii Epiſcopi non tantum iſtius, quantum Epiſcopi alieni eſt. Ex his patet ſolutio ad rationem contrariam numero antecedenti propoſitam.

30. Sed dices ergo ſaltem Epiſcopus Beneficii poterit, cum ſuis Dimiſſoriis remittere Petrum ad proprium Epiſcopum, ut ab eo Beneficium tenue ſuppleatur Patrimonio, ipſumque promoveat. Negatur enim ſuppoſitum conſequentis, ſupponit namque Epiſcopum alienum in noſtro caſu poſſe Petrum re-

mitte-

mittere ad proprium Epiſcopum, cum non poſſit: nullus enim Epiſcopus tribuere Dimiſſorias, ſicut nec ad ordines promovere, ſibi non ſubdito, poteſt, & Petrus per Beneficium tenue in aliena Diœceſi obtentum, ejus Epiſcopi ad ordines ſubditus effectus non eſt.

31. Sed inquires, an ſaltem poſſit proprius Epiſcopus Petri titulo Beneficii in aliena Diœceſi obtenti, quod tenue ſupponitur, ipſum promovere, ſupplendo illum Patrimonio. Reſpondeo mihi certum eſſe, quod poſſit: Epiſcopus enim proprius poteſt ſuos ſubditos promovere ad Titulum Beneficii, etiam in aliena Diœceſi obtenti, ex dictis *n.* 24. cum communi ſententia: Deinde Epiſcopo proprio Patrimonio ſupplere nullibi prohibitum eſt; ergo poteſt abſolutè, ſed raró, & laudabiliter quidem, DD. Epiſcopi tali facultate utuntur.

## DUBIUM V. *An Epiſcopus Beneficii onera ipſius Beneficii Patrimonio ſupplere valeat.*

32 CONſtat ex præſenti conſtitutione, Epiſcopum Beneficii defectum fructuum Beneficii Patrimonio ſupplere nullatenus poſſe, quæritur nunc, an ſicut defectum fructuum ſupplere nequit; ſic nec Beneficii onera Patrimonio ſupplere valeat. Claritatis gratia proponitur caſus. Obtinet Petrus in aliena Diœceſi Beneficium, cujus reditus ad centum aureos pertingunt, & totidem in Synodalibus illius Diœceſis pro promovendis ad Sacros Ordines aſſignantur; habet tamen penſionem, vel alia onera perpetua in quantitate viginti aureorum, v. g. remanentque octoginta aurei dumtaxat, quibus ab Epiſcopo Beneficii promoveri Petrus non poteſt: eget enim Beneficio centum aureorum, ut in caſu ſupponitur, detractis oneribus, & his detractis, octoginta tantummodo remanent; tunc Petrus Epiſcopo Patrimonium offert, quo ſine dolo, aut fraude illos viginti aureos penſionum, vel onerum pro vita ipſius Petri redimat, ac ita centum Beneficii aurei integrè, & ſine ullo onere pro vita Petri maneant, quæritur, an id Epiſcopus Beneficii efficere valeat, ita ut eo ſupplemento ab Epiſcopo peracto, ipſum Petrum ad Ordines, titulo talis Beneficii, promovere queat.

Dixi,

Dixi, *pro ejus vita*, nam ſi perpetuò onera caſſat, certum eſt poſſe, tunc enim in ullo ſenſu onera remanent, ſed abſolutè centum aurei manent integri.

33. Affirmativè reſpondendum cenſeo,& quidem ſatis probabiliter; nam Epiſcopo Beneficii vi præſentis Conſtitutionis ſolummodo ſupplere prohibetur Patrimonio, quod in linea fructuū Beneficio defecerit: at in noſtro caſu Beneficio fructus non deficiunt, habet enim reditus centum aureorum, ut in caſu ſupponitur; ergo per tale ſupplementum defectus fructuum non ſuppletur, ſed fructus qui jam ſupponuntur, exonerantur, extrahendo ab ipſis onera, quod eſt valde diverſum.

34. Licèt enim ipſum extrahere onera, ſit reditus augere; creſcunt namque reditus Beneficium poſſidenti, quantum onera ipſius Beneficii exigantur, hæc tamen accretio per Patrimonium non ea eſt, quæ in præſenti Conſtitutione prohibetur, in iſta namque ſolum interdicitur Patrimonio accreſcere, vel ſupplere, quando fructus Beneficii uon exæquant Synodali taxæ, ut eveniret in caſu quo fructus Beneficii attingerent ſolū quinquaginta aureos, & Epiſcopus Beneficii Patrimonio augeret alios quinquaginta: Hoc inquam ſupplementum eſt, quod præſenti Conſtitutione exterminatur, expletur enim per illud, quod fructuum defecerat Beneficio: aliter autem in præſenti caſu contingit, in quo non defectus fructuum ſuppletur, ſed fructus qui jam erant ab oneribus liberantur, quodque non eſt fructus ſupplere: ſicut enim qui maculam è panno abradit,pannum nec ſupplet,nec addit, ſed dumtaxat pannum à macula liberat, ſic qui à fructibus Beneficii onera extrahit, fructus nec ſupplet; nec addit, ſed ſolum ab oneribus vendicat, hoc autem haud prohibitum eſt.

35. II. Probatur, quia in præſenti Conſtitutione non quodlibet ſupplementum prohibetur, ſed illud dumtaxat, quo fructus Beneficii ſupplentur, & hoc cum adjectione Patrimonii, ſic enim in textu legitur: *Sublata quacumque facultate ſupplendi quod defecerit fructibus ejuſdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, &c.* At in noſtro caſu defectus fructuum non ſuppletur Patrimonio, ex dictis, nec verificatur fieri per adjectionem,adjicere enim fit per additionem numeri ad numerum,

ut

ut explicat Calepinus, ac D. Ambroſius *de Abel, & Cain lib. & cap.* 1. colligiturque *ex 2. Reg.* 12. 8. ibi: *Si parva ſunt iſta, adjiciam tibi multo majora, & ex Pſalm.* 60. *n.* 7. *Dies ſuper dies Regis adjices*, & alibi ſæpè. Ubi conſtat quod adjicere eſt novum numerum addere, & quod antea non erat, quodque in noſtro caſu non contingit, cum centum illi aurei non componantur ex fructibus Beneficii, & ex Patrimonio, immo omnes ſunt fructus Beneficii, licèt pars eorum Patrimonio exterſi fuerunt, eo autem ipſo quod exterſi fuerunt dicti fructus, hoc manifeſtat, quod jam erant, minimè ergo additi fuerunt tali Patrimonio: ergo in noſtro caſu, nec verificatur ſupplementum fructuum, nec cum adjectione: ergo non prohibetur.

36. Probatur III. Quia præſens Conſtitutio in præſenti caſu expoſcit ſolum, quod detractis oneribus, Beneficium per ſe ejus ſit reditus, ut taxam Synodalem exæquent, & quod illi fructus ſuppleri nequeant cum adjectione Patrimonii: ergo cum in noſtro caſu onera, & non fructus Patrimonio ſuppleantur, non eſt caſus à præſenti Conſtitutione interdictus. IV. Quia ut docet Barboſſa *de Appellat. verb. Appellat.* 103. *n.* 22. Onera, & fructus quid valdè diverſa ſunt: ergo lex prohibens fructus Patrimonio ſupplere, non prohibet onera Patrimonio detrahere, maximè cum præſens Conſtitutio in eadem clauſula de fructibus, & oneribus mentionem fecerit.

37. Sed dices; abſque tali ſupplemento non extant in noſtro caſu fructus ſufficienres in Beneficio, ut per illud poſſit Petrus ab Epiſcopo alieno promoveri: ergo tali ſupplemento per Patrimonium facto, verè & propriè Patrimonio fructus Beneſicii ſupplentur, at hoc præſenti Conſtitutione interdictum eſt: ergo. Antecedens conſtat, nam ſi abſque tali ſupplemento, Beneficii fructus taxæ Synodali æquarent, abs dubio poſſet Epiſcopus Petrum promovere: ergo ſi non poteſt, ſignum eſt, quod in tali Beneficio fructus deficiunt: ergo & quod tali ſupplemento ſupplentur fructus. Roboratur id amplius; nam quantum in Beneficio onera creſcunt, fructus minuuntur: ergo etiam è converſo, quantum onera Patrimonio minuuntur, fructus ipſo Patrimonio accreſcunt; ſed hoc eſt fructus ſupplere per adjectionem Patrimonii, quodque prohibitum eſt: ergo.

39. Re-

38. Reſpondetur, diſtinguendo antecedens, non ſunt fructus expediti, concedo; non ſunt fructus abſolutè, nego antecedens, & conſequentiam. Ad probationem reſpondetur, Epiſcopum impotentem eſſe ad promovendum Petrum tali Beneficio, non defectu fructuum, habet enim per ſe Beneficium ſufficientes fructus, ut in caſu ſupponitur, ſed quia licèt Beneficium ſufficientes fructus habeat, detractis oneribus non habet, & utrunque requiritur, ut Epiſcopus alienus in noſtro caſu Petrum promovere poſſit. Hinc immo noſtrum probabile aſſertum roboratur: cum enim ut Epiſcopus alienus promovere valeat alienum ſubditum, debet hic in illius Diœceſi poſſidere Beneficium, quod per ſe, detractis oneribus, ſufficiat ad congruam ſuſtentationem, poſteaque prædicto Epiſcopo facultatem auferat ſupplendi defectum fructuum, nihil de oneribus innovans, ſequitur inde, & quod Patrimonio onera detrahere prohibitum non eſt, & quod ſupplemento onerum peracto, Beneficium per ſe, detractis oneribus, ſufficientem habet congruam, ſicque titulo illius poterit alienus Epiſcopus alienum ſubditum promovere.

39. Ad confirmationem reſpondetur diſtinguendo antecedens, quantum onera creſcunt, fructus minuuntur Beneficio, nego, Beneficiato, tranſeat, & ſimiliter diſtinguendnm eſt conſequens: Unde Beneficio per impoſitionem, vel detractionem onerum, fructus nec minuuntur, nec augentur, ſemper enim habet centum aureos ut ſupponitur in caſu, licèt verum ſit quod Beneficiatus minus percipiet de illis fructibus, quantum ipſi plus onerentur, idque efficere valet, ne dictus Beneficiatus promoveri poſſit, non autem ut Epiſcopus Patrimonio onera ſupplere non valeat: quare in præſenti diſpoſitione duo præcabentur, & quod inſtitutus in Beneficio, hoc tale ſit, ut per ſe, & detractis oneribus, ad congruam ſuſtentationem ſufficiat, & quod defectus fructuum Beneficii Patrimonio ſuppleri nequeat, cumque, in præſenti fructus Beneficii non ſuppleantur Patrimonio, inde eſt, quod licèt onéra minuantur, fructus Beneficio non creſcunt, ſed Beneficiato, hoc autem præſenti diſpoſitione non prohibetur Patrimonio fieri, ſed ſolum quod fructus Beneficii Patrimonio non ſuppleantur, quod valdè diverſum eſt.



40. Tria

40. Tria oportet in præſenti cum D.Lamperez *n. 366. 67. & 68.* admonere. I. Quod inter onera Beneficii Miſſæ computandæ non ſunt, niſi Miſſarum numerus exceſſivus ſit, nec per ſe Beneficiatus celebrare valeat, ſed aliis ſtipendia tribuere cogatur: in hoc enim caſu, ſi dectractis his ſtipendiis, fructus Beneficii taxam Synodalem, vel Regionis morem non exæquant, non erit ſufficiens titulus,ut ab Epiſcopo alieno Capellanus promoveri poſſit; verum tamen eſt, quod hac via raro Beneficium defectu congruæ laborabit: regulariter enim in Inſtitutionibus aſſignatur Capellanis majus ſtipendium quando ipſi eas Miſſas celebrant, ac quando aliis celebrandas tradunt. II. Quod taxa redituum Beneficii debet eſſe juxta Synodales, vel morem Regionis Diœceſis, in qua Beneficium obtentum eſt non autem alterius Diœceſi, licèt ſit originis, vel domicilii Ordinandi.

41. III. Quod licèt Epiſcopus diſpenſare poſſit in ſuis Synodalibus, in taxa autem iſta diſpenſare nequit; Sanctiſſimus enim Innocentius vult, quod hæc taxa ſit juxta Synodales abſolutè, & non juxta diſpenſatas, aliter fraudes non evitarentur. Quibus addè. IV. Scilicèt, quod licèt Epiſcopo alieno interdictum ſit ſupplere Patrimonio defectum fructuum Beneficii, ut iſto promovere valeat, ſecus tamen ſi promotum inveniat: Quare ſi Petrus in aliena Diœceſi Beneficium obtinuit congruæ ſufficientis, eoque ad omnes ordines promotus fuit, ac poſtmodum permutare voluerit cum altero Beneficio tenui, nec ſufficientis congruæ, poterit alienus Epiſcopus defectum Beneficii tenuis Patrimonio ſupplere, ut permutans verificare valeat, cum ſufficienti congrua manere.

Quintum, quod quamvis Beneficium, in aliena Diœceſi obtentum, non pertineat ad Collationem illius, in cujus Diœceſi ſitum eſt, ſed ad alium, dummodo ſubſit quoad alia jura Epiſcopalia, hoc ſatis erit, ut ſcilicèt Epiſcopus Diœceſanus ſit Ordinarius collator ordinum talis Beneficiati, ſecus quando reliqua etiam jura Epiſcopalia ad alium Collatorem pertinerent, ut docent Pax Jordanus *cit. n.* 8. Quaranta, *verb. Ordo, verſ. 2. intellige*, Garcia *p. 2. cap.* 4. *n.* 15. Campanli. *rubric.* 9. *n.* 15. Barboſſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 4. *n.* 52. ſubdens *num.* 53. Quod ſi Beneficium unius Diœceſis unitum fuerit alteri, vel

Præ-

Præbendæ diſtinctæ Diœceſis, non niſi Epiſcopo ſubeſſet, in cujus Diœceſi, extaret Beneficium, vel Præbenda, cui annectitur, & à ſolo iſto promoveri poſſet.

DUBIUM VI. *An domini Epiſcopi promovere valeant alienos ſubditos titulo Cappellaniæ perpetuę in ſuis Diœceſibus inſtitutę.*

42. RESpondetur affirmativè, dummodo ſint ſufficientis congruæ, in eiſque concurrant reliquæ circunſtantiæ in præſenti Conſtitutione *n.* 3. relatæ. Ratio eſt, nam præſens Conſtitutio tantum expoſtulat in præſenti caſu, quod alienus ſubditus in aliena Diœceſi obtineat, ac poſſideat pacificè Beneficium congruæ ſuſtentationis, &c. At qui in aliena Diœceſi Cappellaniam Collativam perpetuam obtinet, poſſidetque pacificè cum prædictis circunſtantiis congruæ, &c. Beneficium obtinet quale præſenti Conſtitutione expoſcitur: dictæ enim Cappellanię rigoroſè, & propriè Beneficium ſunt, ut docet Gloſ. *in Clement. ſi Beneficiorum de Decimis*, Tuſco, Zeballos, Ledeſma, Azor, Diana, Bonacina, Trullench, & alii relati à Barboſſa, tum *de poteſtat. Epiſc. par.* 2. *allegat.* 12. *n.* 10. *tum juris univerſi, lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 20. Leandro à Sacramento *tom.* 2. *tract.* 6. *diſput.* 9. *quæſt.* 17. Palao *par.* 2. *tract.* 13. *diſput.* 1. *punct.* 6. *n.* 1. & in terminis præſentis Conſtitutionis D. Lamperez *num.* 381. Ergo poſſidens prædictas Cappellanias in aliena Diœceſi, Beneficium in ea poſſidet, ac proinde ab Epiſcopo talis Diœceſis promoveri poterit. Quod apud omnes, quos viderim, certum eſt, nec ampliori diſcuſſione indiget. Addit tamen Salcedo *in pract. ad Bernard. Diaz cap.* 18. *n.* 9. prædictam doctrinam militare, eſtò dictæ Cappellaniæ in prima erectione laicales forent, dummodo poſtmodum collativæ efficiantur.

43. Caſu tamen quod Cappellaniæ prædictæ taxam Synodalem non æquent, poſſunt prædicti DD. Epiſcopi ipſas aliis Cappellaniis collativis perpetuis, vel vitalitiis, diſtributionibus, penſionibus, aliiſve reditibus Eccleſiaſticis ſive intra, aut extra eorum Diœceſes à promovendo poſſeſſis, ſupplere; non vero Patrimonio, aut alio naturam Patrimonii participante, ut ſunt Cappellaniæ laicales, quod omne intelligendum eſt, cum

moderatione, & limitationibus ſupra, dum de qualitate Beneficii egimus: dicta enim de Beneficio, proportione ſervata hic applicanda, ſunt enim prædictæ Cappellaniæ Beneficium propriè. Nec requiritur quod ante promotionem fructus percipiat, ſed ſufficit quod titulum pacificè poſſideat, licèt poſſidens ante promotionem ad Præsbyteratum, fructus percipere nequeat, eo enim quod titulum poſſideat, vere & proprie Beneficium poſſidet, nihilque amplius in præſenti diſpoſitione expoſcitur, & ita docent Garcia *de Benefic. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 110. Barboſſ. citat. *Alleg.* 19. *numer.* 29.

44. Hactenus in præſenti Dubio dicta, de Epiſcopo Beneficii, ſeu alieno intelligenda veniunt, nam proprius Epiſcopus non ſolum, quæ de alieno diximus, valet verum Patrimonio, Cappellaniiſque laicalibus ſupplere defectum congruæ in Beneficiis quit; hocque utilitate, aut Eccleſiarum neceſſitate minimè attenta. Primum inde conſtat, quod præſens Conſtitutio Epiſcopis dumtaxat Beneficii, non originis, aut domicilii facultatem ſupplendi cum adjectione Patrimonii, aufert: Secundum etiam patet, nam quando Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de Reformat.* neceſſitatem, aut utilitatem pro promovendis à propriis Epiſcopis expoſcit, loquitur, quando prædicti Epiſcopi ad titulum Patrimonii, aut penſionum proprios ſubditos promovere intendunt, ſecus quando ad titulum Beneficii, Cappellaniæve perpetuæ Collativæ ipſos promovent. Nec quia Beneficium Patrimonio augetur, naturam Beneficii amittit, immo cum Beneficium dignius ſit, pro principali reputatur, cuique Patrimonium tanquam acceſſorium ſequitur, *cap. acceſſorium de regul. jur. in* 6. Unde promotus ad titulum Beneficii Patrimonio addaucti, ſemper verificat, quod titulo Beneficii promotus fuerit. Si tamen Beneficium ita tenue fuerit, ut fere toti fructus Patrimonio ſupplerentur, ſecurius eſſet neceſſitati, aut utilitati Eccleſiarum conſulere.

DU-

DUBIUM VII. *An DD. Epiſcopi promovere valeant alienos ſubditos titulo Cappellaniæ collativæ Vitalitiæ, in ſuis Diœceſibus erectæ.*

45. DUpliciter inſtitui poſſunt prædictæ Cappellaniæ, vel pro una dumtaxat vita, qua extincta, bona, ſeu fundi ad uſus ſæculares iterum reddunt: vel pro duplici, aut triplici vita, quibus expletis, fundi in uſus pios convertuntur; hujus ſecundi generis frequenter in Provincia Tarraconenſi Beneficia inſtituuntur, vocanturque *Perſonatus*, & de his omnibus in præſenti dubitatur. An tituli ſint ſufficientes, ut Epiſcopus alienus alienos poſſit ſubditos promovere, dummodo inſtitutæ in ſuis Diœceſibus extent, taxam Synodalem, moremve Regionis redditus exæquent, pacificeque, ac ſine fraude, aut dolo poſſideantur.

46. Et incipiendo à Perſonatibus prædictis, reſpondetur, eſſe titulum ſufficientem, ut DD. Epiſcopi ſubditos alienos promovere valeant: ſunt enim proprie Beneficia, ut cenſuit Rota *in una Gerunden.* 379. *noviſſimarum apud Paulum Rubeum part.* 5. *tomo* 1. *ſub* 17. *Martii* 1630. Conſonantque Concilium Provinciale Tarraconenſe *lib.* 3. *Conſtit. Provinc. Tarraconen. Titulo de Inſtitut. cap.* 5. Ubi ore pleno prædicti Perſonatus Beneficia vocantur, Trullench *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 12. *dub.* 6. *à num.* 2. Navarro *lib.* 5. *conſil.* 43. *ad tract. de Beneficiis, &* 44. *ad tit. de Simonia,* Mendo *in Epitome Morali, verb. Beneficium, n.* 18. RR. P. Thomas Munieſſa ſpeciali diſputatione de Perſonatibus Tarraconenſibus *ſect.* 5. *n.* 55. cum aliis ab eo relatis; at titulo Beneficii habentis prædictas circunſtantias, poſſunt DD. Epiſcopi ſubditos promovere alienos: ergo. Efficacia ratiocinii ſequenti aſſerto expendetur, quæ enim in eo dixerimus, potiori jure Perſonatibus adferes.

47. Reſpondetur ergo II. Titulo Cappellaniæ Collativæ Vitalitiæ, id eſt, quæ pro unica dumtaxat vita inſtituitur, poſſe DD. Epiſcopos ſubditos alienos promovere; dummodo prædictæ Cappellaniæ in ſuis Diœceſibus inſtituantur, aliæque conditiones in præſenti Conſtitutione expreſſæ, non deſint. Ratio

eſt;

eſt; nam prædictæ Cappellaniæ rationem Beneficii propriè participant, in eiſque inſtituti, verè ſunt Eccleſiaſtici: gaudent enim privilegio fori, & Canonis, ut loquendo de Perſonatibus Tarraconenſibus docet citatus Trullench: habent ergo quidquid requiritur vi præſentis Conſtitutionis, ut ipſas Cappellanias poſſidentes, ſubjiciantur prædictis DD. Epiſcopis, ab eiſque promoveri valeant.

48. Antecedens, in quo difficultatis cardo volvitur, oſtenditur. Teſte enim, cum communi, Barboſſa *Juris Univer. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 10. Natura Beneficii unicè nititur in jure percipiendi reditus provenientes ex bonis Eccleſiaſticis; at prædictum jus Inſtitutis in præfatis Cappellaniis non deficit; alias fundi à quibus dicti reditus procedunt, Decreto Ordinarii interpoſito, Eccleſiaſtici fiunt, ſtatumque Sæcularem amittunt, nec ſuper illos tributa Regalia cadunt, ut in ſuo Paſtorali Edicto expedito 15. *Maii* 1694. ſupponit Illuſtriſs. D. D. Franciſcus Calderon de la Barca meritiſſimus Præſul Salmantinus: nec enim abſque Ordinarii Decreto alienari poſſunt, immo nec vendi dictæ Cappellaniæ valent, quin vendentes ſimoniæ labe inficiantur; at ſi Beneficia non eſſent, pecunia poſſent comparari, ut de pure laicalibus probabiliter cenſent Barboſſa citat. *lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 3. N. P. Ramon Cartulla *Mor. tract.* 3. *cap.* 2. *pregun.* 23. Ergo maximè quia Beneficia verè, & propriè ſunt.

49. Nec obſtat I. quod Beneficium indiſpenſabiliter exigit à Superiore Eccleſiaſtico conferri, *cap. Maſſana de elect. c. ſi quis deinceps, cap. nullus laicorum cap. per laicos* 16. *q.* 7. & dictæ Cappellaniæ per laicos fundatores regulariter conferuntur. II. Beneficia debent eſſe perpetua, *cap. Sanctorum, diſt.* 70. *cap. ex parte tua, de Clerico ægrotante, cap. ſi gratioſè de reſcriptis in* 6. Prædictæ autem Cappellaniæ, utpote Vitalitiæ, temporaneæ ſunt. Ad I. enim reſpondetur, quod aliud eſt ad Beneficia præſentare, aliud ipſa beneficia Canonice conferre, hocque, non illud proprium eſt Superioris Eccleſiaſtici, nec in noſtro caſu deficit, cum prædictæ Cappellaniæ ſupponantur ab Ordinario inſtitutæ, & collatæ, hancque Collationem Sacri Canones Sæcularibus interdicunt, ut patet *capit. Conſtitut. Sanctorum, eadem cauſa* 16. *& quæſt.* 7.

50. Ad II. reſpondetur, quod licèt citati Canones perpetui-

tuitatem in Beneficiis exigant, non adeò tamen ita indiſpenſabilis eſt, ut Eccleſia Beneficia Eccleſiaſtica pro determinato tempore inſtituere nequeat, ut cum Barboſſa *d. cap.* 4. *n.* 12. Garcia *de Benef. part.* 1. *cap.* 2. *n.* 75. aliiſque docet Palao *part.* 2. *tract.* 13. *diſput.* 1. *punct.* 1. *n.* 5. ibi: *Exiſtimo poſſe Eccleſiam inſtituere Beneficia pro aliquo tempore determinato, & ſic inſtituta veram habere rationem Beneficii: quia ſaltem pro illo tempore eſſet jus ſpirituale percipiendi fructus.* Quo in jure præcipua ratio Beneficii nittitur: cumque omnia iſta in præfatis Cappellaniis inveniantur, erunt proprie beneficia, ſubjectionemque alieno Epiſcopo tribuent, ac conſequenter in illis Inſtituti, ab iſto poterunt promoveri.

51. Ratio eſt; nam quamvis Beneficium ex inſtitutione Sacrorum Canonum perpetuitatem expoſcat, ideſt, quod ſemel Inſtitutum, irrevocabiliter permanere debeat; ſi tamen, qui illud inſtituit, ea conditione inſtituerit, ut pro unica vita dumtaxat permaneat, eaque extincta, ceſſet, exceptio valet, Eccleſiaque cum tali exceptione admittere, & inſtituere valet; ſicut enim quæ Eccleſiis legantur, Jure Eccleſiaſtico alienari nequeunt, *cap. fin. de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non*, hoc eſt, quod ſemel poſſeſſa ab Eccleſia, hæc alienare non valeat, abſque ſolemnitatibus in ipſo Jure præſcriptis, *cap. nulli eodem tit. & cap. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. Si tamen Titius Eccleſiæ aliquid legaverit ea adjecta lege, quod pro ſuo libito, non expectatoque Jure, alienare Eccleſia poſſit, exceptio teneret, cum illaque Eccleſia prædictum legatum acceprare poſſet, ut docet Palao cit. *tract.* 12. *punct.* 15. §. 2. *n.* 14. Qui enim abſolutus Dominus alicujus rei eſt, eamque alteri tribuit, tribuere valet pactis, legibus, & conditionibus ſibi benè viſis, etiam ſi Eccleſiæ tribuat, ut colligitur *ex cap. verum de conditionibus appoſitis*: quilibet namque ſuorum bonorum arbiter eſt, *leg. in re mandata. C. mandati*. Hominiſque diſpoſitio ceſſare facit diſpoſitionem legis, *leg. fin. Cod. de pactis*, *leg. maritus*, *C. de Procuratoribus*. Similiter ergo in noſtro caſu dicendum, quod licèt Beneficium Eccleſiaſtica lege perpetuitatem expoſcat, ſi tamen inſtituens nollit niſi pro unica tantum vita erigere, exceptio tenet, cum eaque acceptari ab Eccleſia valet: ergo perpetuitas deficere po-

teſt

teſt Beneficiis, quin eò, titulo proprio Beneficii careant.

52. Sed demus, perpetuitatem indiſpenſabilem Beneficiis eſſe, adhuc reſolutio noſtra tenet: licèt enim omnes conveniant, quod ut quis titulo Beneficii promoveatur, hoc debet eſſe perpetuum, inexploratum tamen hactenus eſt, ubi perpetuitas ſtare debeat, an in Beneficiis, an in Beneficiatis, an in utroque ſimul, in quo Doctores videndi apud Palaum ſupra *tract.* 13. *diſp.* & *punct.* 1. *n.* 6. Garciam citat. *à n.* 65. maximè diſcordant. Nobiſque non intereſt explorare, à quo Beneficii perpetuitas proveniat, ſed ſolum, quam perpetuitatem Sacri Canones in Beneficiis exquirunt, ut iſta ſubjectionem tribuant, eorumque titulo in ipſis inſtituti, ad Ordines promoveri valeant.

53. Dicimus ergo, quod quando Tridentinum, Sacrique Canones perpetuitatem in Beneficiis, ut eorum titulo promoveri poſſit, expoſcunt, ſolummodo expoſcunt perpetuitatem ex parte recipientis Beneficium, ſeu Beneficiati, non Beneficii. Hoc eſt, ſolum curant, quod inſtituti in Beneficio, inamiſſibiliter poſſideant, nec ab ejus fructibus privari valeant, quin præcipuè attendant, an Beneficium poſt vitam inſtituti permaneat, necne. Ita Bonacina, de Sacramento Ordinis *diſput.* 8. *quæſt. unic. punct.* 5. *n.* 40. Ubi exagitans, an Titulus Beneficii debeat eſſe perpetuus, ait: *Reſpondeo debere eſſe perpetuum reſpectu ipſius Clerici, & colligitur ex Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de Reformat.* Barboſſa *de poteſt. Epiſc. Allegat.* 57. *n.* 141.

Ratioque eſt manifeſta; quando enim Tridentinum loco cit. Beneficium pro promovendis ad Ordines, congruæ ſuſtentationis expoſcit, finem expreſſit, ne ſcilicèt Ordinatus cum indecentia ſtatus mendicaret: ergo præcipuè præcavere intendit, ne dum promotus viveret, decenti congrua pro ejus alimonia careret: Ad hoc ergo, quid quod Beneficium poſt promoti vitam perſeveret, necne? Fortè eo mortuo alimentis eget? Ergo perpetuitas, quam Sacri Canones in Beneficiis expetunt, ut quis eis promoveri poſſit, ſufficit quod ex parte Beneficiati ſit; cum ergo hanc habeant Cappellaniæ de quibus loquimur, inde eſt, quod ad earum titulum Epiſcopi alieni promovere valeant.

54. Confirmatur efficaciter I. Quia eſtò Beneficium in ſe perpetuum, ſit, ſi tamen à Prælato perpetuò non confertur, ſed

pro

pro ejus nutu, quodque à Prælatis fieri poſſe, docet Palao ſupracitatus, ſic inſtitutus, nequit ad Ordines promoveri, ut negavit nemo: ſignum ergo eſt, quod perpetuitas Beneficiorum non in Beneficiis, ſed in Beneficiato ſtare debet, aliter Tridentinum Patrimonio, aut Penſionibus promoveri, non permitteret, cum mortuo promoto, & illa moriantur. II. Nam ut docent Garcia, & Squilante citati à Barboſſa *Jur. Univer. lib.* 1. *c.* 33. *n.* 66. Ut quis titulo Beneficii promoveatur, ſufficit ipſum in Commendam poſſidere, dummodo fructus ſufficientes ſint, innamiſſibiliterque à Commendatario poſſideantur; & patet, quod ſola perpetuitas ex parte Beneficiati reputatur pro titulo ſufficienti ad Ordines: cum ergo hac non careant prædictæ Cappellaniæ, cur non erunt titulus ſufficiens, ſicut Beneficium in Commenda.

55. Dices, quod Cappellaniæ Vitalitiæ naturam Patrimonii ſapiunt, & regulariter dolo creantur; licèt enim eas erigens ad ſufficientes fructus tribuendos Cappellano obligetur, obligatio tamen iſta, praxi teſte, illuſoria eſt: inſtrumento namque antecedenti, vel alio medio inſtituentes ſe muniunt, ut ab eis Cappellani fructus extorquere, nequeant. Inſuper. Penſiones Eccleſiaſticæ perpetuæ ex parte Penſionarii ſunt, nec tamen ideo Beneficii naturam participant: ergo Cappellaniæ dictæ licèt perpetuæ ex parte Cappellani ſint Beneficia non erunt: at quod Beneficium non eſt, nec titulus, ut ab Epiſcopo alieno quis promoveatur, poteſt eſſe: ergo.

56. Ad primum enim reſpondetur, quod licèt prædictæ Cappellaniæ majori permanentia non gaudeant, quam Patrimonia, non inde infertur, quod naturam Patrimonii ſapiant: Penſiones enim Eccleſiaſticæ Vitalitiæ ex ſe ſunt, & tamen non ideo ut Patrimonium reputantur, immo quid diverſum ſunt, colligiturque ex Triden. citat. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. Diſtinctio ergo, quæ inter prædictas Cappellanias, ac Patrimonium intercedit, ea eſt, quod illæ fundi in quibus inſtituuntur, divino dicantur Officio, tum celebratione Miſſarum, tum Horarum Canonicarum penſu, & quia media Canonica inſtitutione jus tribuitur Cappellano, ut fructus perpetuò exigere valeat, in quo præcipuè ratio Beneficii ſtat; quod quidem Patrimonium ex ſua natura minimè habet.

57. Ad id quod de fraudibus, & dolo additur, reſpondetur, non eſſe noſtrum caſum, in eo enim ſupponitur ſine fraude prædictas Cappellanias inſtitui, quodque evenire poteſt, ſicut de titulo Patrimonii ratiocinatur Illuſtriſs.D. Monſerrat Urgellitanus Præſul *in ſuo Opuſculo Sacro, pag.* 160. Unde quando DD. Epiſcopi fraudes in præfatis Cappellaniis præſenſerint, laudabiliter quidem, in eis inſtitutos, è promotione Ordinum repellent; hoc tamen non tollit, quo minus, ſi ſine fraude inſtituantur, poſſint earum titulo ad Ordines ſubditos alienos promovere, ex dictis. Ad ſecundum de penſionibus reſpondetur, eo Beneficium non eſſe, quod ipſis Canonica inſtitutio deficiat, & ſine eo implicat Beneficii naturam ſortiri, *cap.* 1. *de regulis juris in* 6. Hanc autem inſtitutionem prædictæ habent Cappellaniæ, ut ſupponimus, ratione cujus propriè Beneficia efficiuntur, ſicque nulla eſt paritas.

58. Ex his etiam patet ſolutio *ad cap. Sanctorum*, cæteroſque Canones ſupra *n.* 49. relatos, reſpondetur enim I. quod ſi dictis Canones rectè inſpiciantur, non perpetuitatem ex parte Beneficii, ſed Beneficiati præcipuè intendunt. II. quod ſi aliquando tum in prædictis, tum aliis Canonibus perpetuitas Beneficii indicatur, intelligendi ſunt de perpetuitate Beneficii in ordine ad alios fines, ut colligitur *ex cap. cum de Beneficio de Præbendis in* 6. non vero quantum ad effectum recipiendi ordines, ad hunc enim finem ſufficit perpetuitas ex parte Beneficiati, ut cum communi reſolvit Barboſſa *Jur. Univerſ. lib.* 3. *c.* 4. *n.* 13.

## DUBIUM VIII. *Utrum titulo Cappellaniæ Patronatus purè laicalis poſſit quis ad Ordines promoveri.*

59. RESpondeo I. Epiſcopum alienum promovere illum, non poſſe, qui in ſua Diœceſi prædictam Cappellaniam obtinuit, eſtò hæc perpetua ſit, immo licèt Cappellanus jus habeat ad Eccleſiaſticas diſtributiones in aliqua Eccleſia ipſius Diœceſis, vi præfatæ Cappellaniæ. Ratio eſt; quia prædictæ Cappellaniæ nullatenus naturam Beneficii participant; at ſubditus alienus Beneficio dumtaxat, & cum circunſtantiis ſæpè memoratis alieno Epiſcopo, ad effectum ſuſcipiendi ab iſto ordi-

ordines, ſubjicitur cum ergo prædictæ Cappellaniæ in ullo ſenſu Beneficium ſint, nec ſubjectionem alieno Epiſcopo, ut ab iſto promoveri poſſit, tribuent. Major conſtat, nam prædictæ Cappellaniæ Canonica carent, ut ſupponitur, inſtitutione, ſine qua implicat rationem Beneficii ſortiri, *cap.* 1. *de regul. jur. in* 6. Minor patet ex verbis præſentis Conſtitutionis, & conſequentia infertur.

60. Si tamen Canonicè perpetuò inſtituantur, Beneficii naturam induent, ac conſequenter in eis inſtituti, ab alienò Epiſcopo promoveri valebunt, dummodo aliæ circunſtantiæ, in præſenti Conſtitutione conſcriptæ, non deficiant. Sed quid ſi pro vita tantum Petri inſtituantur, qua finita, ad priſtinum laicalem ſtatum iterum refluant. Reſpondeo id ſufficere, ut ab Epiſcopo alieno Petrus promoveri valeat. Ratio eſt, nam praxis DD. Epiſcoporum hactenus obſervata, intellexit, quod prædictæ Cappellaniæ, licèt pro unica dumtaxat vita inſtituantur, iterumque ad ſtatum laicalem revocentur, ſufficere, ut ſtante Canonica inſtitutione, & pro tempore quo hæc permanet, Beneficii naturam ſortiantur: at Beneficio cum memoratis circunſtantiis promovere DD. Epiſcopi alienos ſubditos valent: ergo.

61. Dices. Sacra Rota apud Barboſſam *Juris univ. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 31. *&* 32. declaravit, quoddam legatum laicale Miſſarum, quod pro unica vita inſtitutum fuit, tali inſtitutione minimè Beneficium Eccleſiaſticum vocandum, ſed laicale manere: ſic ergo in præſenti dicendum, quod licèt prædictæ Cappellaniæ inſtituantur, cùm pro unica dumtaxat inſtituantur vita, naturam Beneficii non induent, ſed laicales ſemper manere. Reſpondetur enim, prædictas deciſiones Rotæ intendere, quod quia legata ſemel inſtituta fuiſſent, in eoque ſtatu ultima præſentatio inveniret, non ideo pro Beneficio Eccleſiaſtico perpetuò habenda, id eſt, quod futuris temporibus etiam inſtituenda forent, cum per unicam inſtitutionem ſtatus laicalis in eis non fuerit præſcriptus. Intelligentia hæc colligitur manifeſtè ex fundamento prædictarum Rotæ deciſionum; fundantur enim *cap. cum de Benefic. de Præbendis in* 6. & ibi lis erat ſuper præſcriptione Beneficii multo tempore per ſæculares adminiſtrato, licèt in antecedentibus per Regulares miniſtra-

tum fuiſſet. Utrum autem prædicta legata fuerint, nec ne Beneficium, pro tempore quo inſtituta fuerunt, nihil in eis dicitur; ſicque praxi ſtandum.

62. Reſpondeo II. Poſſe DD. Epiſcopos prædictis Cappellaniis ſubditos proprios promovere, conſulendo neceſſitati, utilitative ſuarum Eccleſiarum; ſi enim, cum moderatione dicta, Patrimonio ſuos ſubditos promovere valent, potiori jure ad titulum prædictarum Cappellaniarum promovere valebunt, naturam namque Patrimonii participant, ut cum Salcedo, Gonzalez, Garcia, & aliis docet Palao *dict. tract.* 13. *diſput.* 1. *punct.* & *n.* 6. ibi: *Tertio infertur, ad titulum Cappellaniæ laicæ neminem ordinari poſſe, tanquam ad titulum Beneficii, quia Beneficium non eſt; at ſi perpetua ſit, ordinari poterit ad illius titulum, tanquam ad titulum Patrimonii.*

63. Sed quando hæc neceſſitas, aut utilitas Eccleſiarum intelligetur? Reſpondetur, quod Tridentinum arbitrio DD. Epiſcoporum reliquiſſe conſtat *ex ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de Reformat.* Videndus tamen Diana *p.* 4. *tract.* 4. *miſcell. reſol.* 209. & *part.* 10. *tract.* 11. *n.* 10. Ubi in ſimili cauſas ad diſpenſanda interſtitia adnumerat, quæ hic facile coaptari poſſunt.

64. Videtur tamen, quòd quando Cappellania laicalis aggregata perpetuò invenitur diſtributionibus alicujus Eccleſiæ, hujus neceſſitas ea aggregatione comprobatur: Cum enim Eccleſiæ ad Diſtributiones non admittant, niſi neceſſitate compulſæ, *cap. ut quiſque. De vita, & honeſtat. Clericorum.* Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 4. *de reformat.* Infertur, quod quando Eccleſia Cappellanum ad ſuas Diſtributiones admiſſit, neceſſitate compulſa admiſſit: Unde ex tali admiſſione neceſſitas illius Eccleſiæ ſatis comprobatur, ob quamque Epiſcopus Cappellanum proprium ſubditum promovere valebit, eo tempore quo neceſſitas in dicta Eccleſia permanſerit. Dixi *eo tempore*, quia ſi curſu temporis in illa Eccleſia Beneficia inſtituantur, ratione quorum neceſſitati occuratur, cum jam ſic neceſſitas ceſſet, ceſſabit etiam motivum promovendi titulo dictarum Cappellaniarum ob neceſſitatem.

65. Infertur hinc I. Epiſcopum alienum promovere non poſſe alienum ſubditum titulo Patrimonii, aut Penſionum, quia

chæ

hæc facultas conceditur à Trident. citato Epiſcopis dumtaxat propriis, originis ſcilicèt, aut Domicilii, ut docet Leander à Sacramento *p. 2. tract. 6. diſp. 8. q. 17. & 18.*

66. Infertur II. Epiſcopum proprium abſolutè poſſe ſuos ſubditos promovere titulo Cappellaniæ pure laicalis, eſtò hæc erecta extra ſuam Diœceſim fuerit, dummodo Cappellanus vi talis Cappellaniæ obſtrictus non ſit indiſpenſabiliter Miſſas in Eccleſia, vel Cappella alterius Diœceſis celebrare: cum enim titulo Cappellaniæ præfatæ promoveatur tanquam ad titulum Patrimonii, quodque neceſſitatem, aut utilitatem expoſcit, & de quibus Epiſcopo in aliena Diœceſi alienum eſt judicare, hinc eſt, quod ſi Cappellanus obſtrictus eſt Miſſas extra propriam Diœceſim celebrare, Epiſcopus non poterit titulo talis Cappellaniæ promovere: ſi tamen arbitrio Cappellani celebratio Miſſarum, quo ad locum, relinquatur, tunc poterit Epiſcopus proprius, conſulta tamen neceſſitate, aut utilitate Eccleſiarum ſuæ Diœceſis, ipſum promovere: ſicut enim promovere poteſt titulo Patrimonii, aut penſionis extra ſuam Diœceſim obtentæ, ſic poterit titulo Cappellaniæ extra propriam Diœceſim obtentæ promovere.

## DUBIUM IX. *De præſtimoniis, aliiſque titulis.*

67. PRæſtimonia vocantur, quædam fructuum partes, quæ à Beneficiis extrahuntur, & Præſtimoniario conſignantur, antiquitus inducta, ut eiſdem fructibus faverentur, qui litteris, militiæque pro Eccleſiæ defenſione operam dabant, ideoq; *Præſtimonium,* quaſi *præſtans munium,* dicebatur, propter obſequium quod Eccleſiæ præſtabant, qui intuitu talium fructuum in litteris, & militia exercebantur: De his Præſtimoniis mentionem faciunt textus *in cap. fin. de conceſſione Præbendæ in 6. ac Trident. ſeſſ. 14. cap. 9. de Reformat.* Et de his controvertitur, num titulus ſit ſufficiens, ut poſſit illud poſſidens promoveri tum à proprio, tum ab alieno Epiſcopo.

68. Pro cujus reſolutione ſupponendum eſt, quod licèt quando dicta Præſtimonia inducta fuerunt, Beneficia non erant; fructus enim tunc non tribuebantur, intuitu officii ſpiritualis,

nunc

nunc tamen Beneficia propriè ſunt. conferuntur namque in Titulum, habentque officium ſpirituale annexum, quale eſt Horarum Canonicarum penſum, Palao *dict. tract.* 13. *diſput.* 1. *punct.* 7. *n.* 1. Barboſſa *Jur. univer. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 1. cum aliis Theologis, & Canoniſtis ab his citatis: eſtque ſine controverſia poſt Conſtitutionem Pii V. quæ incipit: *Ex proximo Lateranenſi* 20. *Septembris* 1571. *Bullarium Cherubini tom.* 2. *pag. mihi* 344. in qua Beneficia vocantur, cum obligatione recitandi, ac fructus reſtituendi, qui dictam obligationem non perſolverint.

69. Hoc ſuppoſito, reſpondetur I. Epiſcopum proprium promovere poſſe ſuos ſubditos titulo Præſtimonii ſive in ſua, ſive in áliena Diœceſi promovendus, poſſideat, ſive ſit, ſive non Beneficium: ſi enim Beneficium fuerint, in ſuaque Diœceſi poſſideantur, nulli dubium, quin eorum titulo à propriis Epiſcopis Præſtimoniarii promovere poſſint: ſi autem Beneficia non ſint, in ſuis Diœceſibuſque poſſideantur, cum proprius Epiſcopus ad titulum Patrimonii, ac Penſionum ſive in propria, ſive aliena Diœceſi obtentarum, ex dictis *n.* 66. & neceſſitate, aut utilitate Eccleſiarum conſulta, proprios ſubditos promovere valeat, cur non idem de habente Præſtimonium concedendum, cum eadem ratio militet.

70. Hinc fit, quod ſi Præſtimonium congruam non habeat, ſuppleri valet à proprio Epiſcopo alio Præſtimonio, eſtò Beneficium non fuerit, Patrimonio, quolibetque alio emolumento, nam prædictum ſupplementum proprio Epiſcopo nullibi interdicitur; ergo valet ſupplere, & ſupplemento peracto, ad ordines proprium ſubditum promovere.

71. Reſpondeo II. Epiſcopum alienum promovere poſſe alienos ſubditos titulo Præſtimonii in ſua dumtaxat Diœceſi obtenti, dummodo congruam juxta taxam Synodalem, moremve Regionis exæquet, ac reliquæ circunſtantiæ in præſenti Conſtitutione adſcriptæ, ac ſupra *n.* 3. relatæ, concurrant. Ratio eſt; quia ut ex dictis conſtat, Præſtimonium verè, & propriè Beneficium eſt; at Beneficium cum dictis circunſtantiis ſubjectionem ad ordines Epiſcopo alieno tribuit ergo poterit ab iſto promoveri, qui in ſua Diœceſi tale prçſtimonium obtinuit, nec ſuppoſito, quod Beneficium ſit, amplius in hoc immorandũ.

72. Si-

72. Similiter, quando Præſtimonium taxam dictam non exæquaverit, poterit alienus Epiſcopus altero Præſtimonio, Beneficio, Cappellania collativa, Penſionibus aliiſque emolumentis Eccleſiaſticis non nutualibus defectũ ſupplere, ſive in propria ſive in aliena Diœceſi, Præſtimoniarius poſſideat; nullatenus tamen Patrimonio, vel alio quovis, naturam Patrimonii ſapiente. I. pars conſtat ex dictis *n.* 16. quæ hic applicari poſſunt. eſt enim eadem ratio. II. pars conſtat ex verbis præſentis Conſtitutionis ſupra *n.* 3. relatis.

73. Circa II. dubii partem, plurimos titulos, ut quis poſſit ad ordines promoveri, Doctores aſſignant, quales ſunt Hoſpitales, Commendæ, Coadjutoriæ, & alii, videndi apud Barboſſam citat. à *cap.* 9. Palao citat. *punct.* 7. *& ſequent.* De quibus omnibus breviter expediemur, dicendo, quod ſi Beneficia fuerint perpetua ex parte ſaltem recipientis, cum congrua ſufficienti, aliiſque circunſtantiis in præſenti Conſtitutione memoratis, poterunt DD. Epiſcopi eorum titulo ſubditos alienos promovere, dummodo in ipſorum Diœceſibus poſſideantur, quod ex dictis abundè conſtat.

74. Nec obſtat, quod prædicta, Beneficia non dicantur, quia ut optimè Gonzalez *ad Reg.* 8. *gloſſ.* 5. *n.* 17. Adnotavit, in Beneficio vis non eſt in nomine, ſed in natura, ideoque minimè attendendum in prædictis titulis, num Beneficia, aut non vocitentur, ſed an naturam Beneficii participent: *argument. leg. ſi uno, ff. locati, cap. ea quæ de ſimonia*. Unde quamvis Beneficia regulariter non dicantur, ſi tamen naturam Beneficii participant, Beneficia proprie erunt. Quid verò requiratur ut aliquid Beneficium proprie nuncupetur, videatur Barboſſa *Juris Univerſ. lib.* 3. *cap.* 4. *à n.* 25. *& de poteſt. Epiſcop. allegat.* 57. *n.* 141. Epiſcopi autem proprii cum prædictis titulis promovere ſuos ſubditos poterunt, quamvis Beneficia non fuerit, dummodo ſufficienti congrua gaudeant, aut ſupplendo, ſi non gaudeant, juxta ſæpè dicta.

## DUBIUM. X. *Utrum ad titulum ſufficientiæ quis promoveri valeat.*

75. NOmine ſufficientiæ in præſenti intelligitur proxima illa aptitudo, qua quis ad obtinendum Beneficium inve-

invenitur, ratione ſcilicèt ſuorum ad illud meritorum, v.g. Toga in Collegio Salmantino, Complutenſi, Oſcenſi, vel alio Majori inſignitus, quique ad obtinendum Doctoratus apicem curſus communi plauſu confecit, vel inibi Cathedram obtinuit. Hic igitur licèt Beneficium non obtinuerit, ſua tamen notoria ſufficientia, obtentioni ita proximè inhæret, ut moraliter certum ſit breviſſimè obtenturum. De his igitur in præſenti quæritur, an titulo ſuæ ſufficientiæ promoveri ad ordines valeant.

76. M. Corduba *in Summa qu.* 36. Emmanuel Rodriquez *in Summa tom.* 2. *cap. & n.* 15. Enriquez *lib.* 10. *cap.* 17. *in fine*, *& lib.* 13. *cap.* 37. *n.* 2. docent ab Epiſcopo proprio promoveri poſſe, fundamentum eſt, quia quando Tridentinum *dict. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. Beneficium, Patrimoniumve expoſcit, ideo expoſcit, ut promovendus congrua ſuſtentatione non careat, cumquè, hii de quibus loquimur, breviſſimè moraliter Beneficium obtenturi certo certius ſit, hinc inferunt, quod moraliter, ac ſi jam obtinuerint, reputandum eſt. Additque Enriquez citat. *lib.* 10. *juncta litt. marginali*, *lib.* 13. *litt. N.* Aſſertum approbaſſe viros doctos Theologos, & Juriſperitos, ad praxinque deductum.

77. Sed quidquid ſit de probabilitate horum Auctorum reſpectu proprii Epiſcopi, tanquam certum dicendum, quod Epiſcopus alienus titulo ſufficientiæ alienum ſubditum promovere minimè poteſt: ea enim ſufficientia, qualiſcunque ſit, ac quantuncunque obtentionem Beneficii in ea Diœceſi citiſſimè fundet, ipſa tamen Beneficium non eſt, ſed ad ſummum in ſpe; at ſolo Beneficio in re obtento, pacificeque poſſeſſo ſubiicitur quis alieno Epiſcopo ad effectum ordinum, ut conſtat ex præſenti Conſtitutione: ergo cũ dicta ſufficientia Beneficiũ nõ ſit, titulum ut quis ab alieno Epiſcopo promoveri poſſit, fundare non valet.

78. Confirmatur I. Nequit dicta ſufficentia fundare majorem certitudinem ad obtinendum Beneficium, quam fundaret, qui ea expreſſa lege vocatus eſt ad Beneficium, ut immediatè poſtquam initiatus fuerit, Beneficium ſtatim conferatur: at non obſtante hac certitudine, ac præciſitudine, nequit Epiſcopus alienum ſubditum initiare, ut conſtat ex verbis præſentis Conſtitutionis ſupra *n.* 1. relatis: ergo nec poterit titulo ſufficientiæ, quæ minorem certitudinem fundat, ad ordines promovere.

79. Con-

79. Confirmatur II. Exemplo diſpenſationis: ut enim docent communiter DD. non licèt contra legem agere, ſpe diſpenſationis certiſſimè obtinendæ, ideoque nemini licere lacticina edere, ſpe quod ſtatim Bullam obtinebit, ſed neceſſarium eſſe, quod antecedenter Bullam obtineat, & acceptet: ſimiliter ergo in noſtro caſu dicendum, quod ut quis ad ordines promoveatur non ſufficit ſpes Beneficii, quantumcumque certiſſima, præſens enim Conſtitutio Beneficium obtentum, pacificeque poſſeſſum exoptat, quodque prædicta ſufficientia non habet, quia licèt Beneficium tanquā in flore promittat, ipſa tamen Beneficiū nō eſt.

80. Epiſcopus autem Originis, aut domicilii, ſi Opinio Corduvæ ſit probabilis, poterit probabiliter titulo ſufficientiæ ſuos ſubditos promovere; præſens enim Conſtitutio reſpectu proprii Epiſcopi nihil innovat: ergo ſi ante prædictam Conſtitutionem Opinio Corduvæ, & Enriquez probabilis erat, & poſt illam probabilis manet. Dixi, *ſi opinio probabilis* ſit, Sanchez enim *conſil. morali. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 35. *n.* 10. Validiſſimè contrariam, etiam reſpectu proprii Epiſcopi, propugnat. Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt, quod licèt poſſit Epiſcopus proprius, alienus minimè valet titulo ſufficientiæ alienum ſubditum promovere. Ratio diſcriminis eſt, quod Titius, v. g. in quo ſufficientia ſupponitur, independenter ab illa ſupponitur ſubditus ad ordines Epiſcopi proprii, origine ſcilicèt, aut domicilio, cumque jam ſupponatur ſubditus proprii Epiſcopi, poterit ab iſto promoveri titulis apud Auctores probabilibus: At cum ipſe Titius independenter à ſufficientia non ſupponatur ſubditus alieni Epiſcopi, nec ipſa ſufficientia ſubiiciatur, cum Beneficium non ſit, hinc eſt, quod ab iſto, titulo ſufficientiæ certiſſimè promoveri nequeat, licèt ab illo probabiliter promoveri valeat.

81. An autem Epiſcopus alienus Beneficium tenue, à Titio in ſua Diœceſi obtentum, ſupplere ſufficientia poſſit. Reſpondetur, quod ſi ſufficientia ſit de natura Patrimonii, ut ait Henricus Enriquez citat. *lib.* 10. *cap.* 17. *in fine*. Non poterit Epiſcopus Beneficii ſufficientia Beneficium tenue ſupplere, hoc enim ſupplementum præſenti Conſtitutione interdicitur; ſi tamen de genere Patrimonii ſufficientia non fuerit; ſupplere ſufficientia poterit, cum ex dictis ſupra ſæpe, Epiſcopo Beneficii ſupple-

re Patrimonio, vel alio naturam Patrimonii ſapiente, prohibitum dumtaxat eſt.

DUBIUM XI. *An qui ante præſentem conſtitutionem Sacris initiari cæpit, contra ejuſque diſpoſitionem, poſt promulgationem continuare in ordinibus valeat.*

82. V. G. Titius in aliena Diœceſi Beneficium obtinuit tenue, nec taxam Synodalem talis Diœceſis exæquans, Epiſcopuſque Patrimonio defectum fructuum ſupplevit, ad Sacrum Hypodiaconatus ordinem promovit eo titulo; promulgata poſtea fuit præſens Conſtitutio, qua tale ſupplementum Epiſcopo Beneficii interdicitur, quæritur, num eodem titulo ad reliquos ordines promovere valeat.

83. Reſpondeo affirmativè. Ratio eſt, nam tali ſupplemento effectus eſt Titius ſubditus ad ordines prædicti Domini Epiſcopi, quamque ſubjectionem præſens Conſtitutio non tollit, cum hæc in poſterùm ſolummodo prædictam ſubjectonem auferat, ibi: *Hanc de cætero inconcuſsè ſervari volumus regulam, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem acquirere cenſeatur, &c.* Ergo non loquitur de ſubjectione jam acquiſita: ergo continuare poterit. Inſuper grave nimis eſſet Titio, ſemel ad Hypodiaconatum promoto, expectare Beneficium cum qualitatibus in præſenti Conſtitutione præſcriptis, ut ad cæteros Ordines promoveretur, cogeretur enim cum indecentia mendicare, experientia ſiquidem teſte, difficillime Beneficia congruæ ſufficientis obtinentur; leges autem poſſitivæ cum tanto diſpendio obligare non intendunt.

84. Nec obeſt, quod Ordines Diaconatus, Presbyterique ſunt futuri: ergo comprehenduntur in præſenti diſpoſitione, in illiſque verbis, *hanc de cætero*. Reſpondetur enim, quod licent prædicti Ordines ſint futuri, ſubjectio tamen ad illos recipiendos eſt præterita, acquiſita enim fuit ante præfatam Conſtitutionem: cumque jus ad ordines conferendos in ſubjectione fundetur, cum hæc ad omnes ordines acquiſita fuerit, nequit per legem novam, quæ de futuro loquitur, auferri: Eſſet inconſequens enim, quod Titius ſubjiceretur prædicto Epiſcopo ad omnes

omnes ordines, & quod hic ipſos conferre non valeret Titio. Hoc amplius: ſequenti dubio expendetur.

85. Dices, qui Beneficio, aut Patrimonio promotus fuit ad Subdiaconatum, & antequam ad Diaconatum promoveatur, Beneficium, licèt caſualiter, perdit, & Pattimonium validè reſignat, ad ulteriores ordines promoveri non valet, ut cum multis firmat Palao *par. 4. trac. 27. punc. 9. num. 4.* Trullench *tom. 3. lib. 6. cap. unico, dub. 13. n. 8.* Ergo ſimiliter in noſtro caſu, qui ad Subdiaconatum promotus fuit Beneficio, Patrimonio contra legem expleto, licitè nequibit in ordinibus continuare: Deficere enim abſolutè Beneficium, & deficere illud, quod lex præciſsè expoſcit, idem prorſus eſt.

86. Negatur conſequentia, & duplex eſt diſpariras. I. Quod lex exigens Beneficium ad Sacros Ordines, æque, immo potiori jure, ad Diaconatum, & Presbyteratum exigit, ideoque nihil mirum, quod deficiente ante promotionem ad Diaconatum, promoveri nequeat: at in noſtro caſu Titio non deficit Beneficium, ſed ſolum quod Beneficium novæ diſpoſitioni non coaptatur: at cum nova lex ipſum non comprehendat ex dictis, hinc eſt quod in noſtro caſu continuare potetit, licèt in caſu antecedentis continuari nequeat.

87. II. Diſparitas eo nititur, quod quando Tridentin. citat. *ſeſſ. 21. cap. 2.* promovendis ad Sacros Ordines Beneficium, Patrimonium, aut Penſiones expoſcit, exigit, ne promovendus cum indecentia cogatur mendicare: cum autem hæc indecentia major ſit in Diaconis, & Presbyteris, ac in Hypodiaconis, nihil mirum, quod qui ſine Beneficio, aut Patrimonio licitè non poterat ad Subdiaconatum aſcendere, ſi ad hunc promotus, Beneficium deperdit, aut Patrimonium validè reſignat, ad ulteriores ordines aſcendere minimè valeat: at in noſtro caſu promotus ad Subdiaconatum, congruam lege taxatam conſervat, ut vivere abſque indecentia poſſit: ſicque nulla eſt paritas.

88. Doctrina hæc pariformiter currit, eſtò detentio oriatur ex aliquo Canonico impedimento contracto à Titio, poſtquam ad Subdiaconatum fuit promotus, & quo ad ulteriores ordines aſcendere, non valuit, v. g. quia irregularitate irretitus fuit, tunc enim, obtenta abſolutione, vel diſpenſatione talis impedimen-

dimenti, eodem titulo ad ulteriores ordines aſcendere valebit, hocque licèt per multos annos detentus fuerit. Ratio eſt, quia cum jam veram ſubjectonem ad ordines acquiſierit, haneque prædictis impedimentis minimè deperderit, hinc eſt, quod ablatis impedimentis, cum eadem libertate, ac ſi impedimenta non contraxiſſet; continuare in ulterioribus ordinibus poterit. Similiter dicendum de Domino Epiſcopo, qui ſuum familiarem initiavit, animo Beneficium conferendi, cum primum vacaverit, juxta opinionem Pat. Vazquez, ſed conſultius eſſet ſe abſtinere; maxime ſi in Sacris ipſum familiarem non inſtituit.

DUBIUM XII. *An idem dicendum de eo, qui dimiſſorias dumtaxat ad Hypodiaconatum obtinuit.*

89. CAſus figurari ſic valet. Petrus ante promulgationem præſentis Conſtitutionis in aliena Diœceſi tenue obtinuit Beneficium, quod ejus Epiſcopus Patrimonio ſupplevit, Dimiſſoriaſque conceſſit, ut à quolibet Catholico Antiſtite Sacrum Subdiaconatus ordinem ſuſcipiat, quo peracto, & antequam prædictum Subdiaconatus ordinem ſuſciperet, promulgatur præſens Conſtitutio, qua prædictum interdicitur ſupplementum, quæritur, num Petrus licitè poſſit Dimiſſorias executioni mandare, ac Epiſcopus, cui remittitur, promovere.

90. Quæſtio hæc Metaphyſica fere eſt, vix enim ad praxin deduci poteſt: Reſpondetur tamen affirmativè. I. quia collatio Beneficii Petro facta, ab alieno Epiſcopo, hujuſque ſupplementum Patrimonio confectum ante præſentem Conſtitutionem, legitima fuerunt, conſtitueruntque Petrum legitimuum ſubditum, etiam ad ordines, præfati Epiſcopi: *at factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſtea eveniat à quo non potuit inchoari, cap. factum de reg. jur. in 6. & ibi Gloſſ. cap. præcepta 55. diſtinct. juncta Gloſſa, verb. poſtmodum, cap. Perlatum 29. quæſt. 2. Gloſſ. v. dimitti, cap. ad limina 30. quæſt. 1. & ibi Gloſſ. v. vixerit, cap. hi, qui 32. quæſt. 7. cum Gloſſ. v. non poſſunt.* Unde acceſſus Petri ad Mariam uxoris ſuæ ſororem, matrimonium legitimè contractum, non diſolvit, licèt ſi Matrimonium præcederet, ipſum contrahere impediret. Item plures ſunt defectus tam

animi,

animi, quam corporis, qui ſi jam ordinatis ſuperveniant, miniſtrare in ordinibus ſuſceptis, ſaltem privatim, non impediunt, at ſi præcedant, irregularitatem efficiunt; nam *turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes*, *cap. quemadmodum de jure jurando*, Gobat. *tract.* 8. *caſ.* 17. *n.* 654. cum ergo inſtitutio, ſupplementumque Beneficii rite ab Epiſcopo facta ſint, conſtituerintque Petrum legitimum ad ordines ſubditum, prædicti Epiſcopi; vi cujus ſubjectionis ipſi Dimiſſorias conceſſit, hoc inquam factum legitime, ſuperveniente contraria diſpoſitione irritari nequit: ergo licitè valet Petrus Dimiſſorias executioni mandare, ac Epiſcopus, cui remittitur, ordines conferre.

91. Probatur II. Quia licèt in præſenti Conſtitutione expreſſe præcaveatur, neminem fieri ſubditum Epiſcopi alieni, titulo Beneficii, niſi Beneficium ejus ſit reditus, quod taxam Synodalem, vel morem Regionis pro pomovendi ad Sacros Ordines exæquet, facultatemque ſupplendi Patrimonio ab Epiſcopo dicto auferat, expræſſe etiam loquitur de illis, qui poſtquam pomulgata fuerit præſens diſpoſitio, efficiendi ſunt ſubditi ad ordines non de illis, qui ritè jam ad dictum effectum ſubditi talis Epiſcopi effecti ſunt, quod patet, in illis verbis, *hanc de cætero*, *&c.* Cum ergo Petrus ante prædictam diſpoſitionem ſubditus ad omnes ordines prefati Epiſcopi ritè effectus ſit, hanc ſubjectonem non poteſt auferre diſpoſitio ſubſequens; nō enim illam, utpote præteritam, comprehendere valet lex, futura dumtaxat reſpiciens.

92. Dices, in noſtro caſu promotio ad Sacros Ordines eſt futura; at hæc promotio eſt, quæ præſenti Conſtitutione interdicitur; ergo comprehenditur in illa: ergo quod prohibetur præſenti diſpoſitione, non verificatur legitimè factum, ac proinde ei non ſuffragatur citata Juris regula, *factum legitimè*, *&c.* Reſpondetur enim neganndo minorem: Præſens enim diſpoſitio Sanctiſſimi Innocentii immediatè non ad ordines ſacros promotionem prohibet, ſed ſubjectionem tali Epiſcopo cum prædicto Beneficio, aufert, ibi: *Hanc de cætero inconcuſſe ſervari volumus regulam*, *ut nemo* (nota) *ejuſmodi ſubjectionem acquirere cenſeatur ad effectum ſuſcipiendi ordines*, *&c.* Ubi conſtat, quod ad ſubjectionem immediatè tendit, & optimè quidem, nam facultas confe-

rendi

rendi Ordines in ſubjectione fundatur: cum ergo in noſtro caſu Petrus prædicti Epiſcopi ſubditus jam ritè, & legitimè ad ordines effectus ſit, hanc ſubjectionem tollere non valet ſubſequens diſpoſitio, quæ futura, ut diximus, dumtaxat reſpicit.

93. Sed quid dicendum in caſu, quo ipſe Petrus in aliena Diœceſi obtinuerit tenue Beneficium ante promulgationē præſentis Conſtitutionis; hęc tamen promulgata fuit antequam Epiſcopus dicti Beneficii Patrimonio defectum ſuppleverit, poteritne, Conſtitutione promulgata, ipſum promovere. Reſpondebis probabile eſſe, ad Ordines Minores promovere poſſe, ſecus ad Majores. Ratio primi eſt, quia ad Ordines Minores titulo Beneficii obtenti ſubjectionem acquiſivit legitimam, cum tempore quo Beneficium obtinuit, nullo jure prohibebatur. Sed oppoſitum tenendum eſt, quia cum ſuperveniens Conſtitutio, rem integram inveniat; nequit ſub illa non comprehendi, ex dicendis *n.* 98. Ratio ſecundi eſt, quia titulo Beneficii tenuis nemo Epiſcopo alieno ad Ordines Majores ſubjicitur, eget enim, ut hanc ſubjectionem acquirat, quod Epiſcopus defectum fructuum ſuppleat; cumque talem defectum non ſuppleverit ante promulgationem, & aliàs præſenti Conſtitutione ſuppleri Patrimonio prohibeatur, hinc eſt, quod promulgatione peracta, nec Patrimonio ſupplere, nec ad ordines promovere valebit, niſi altero Benèficio ſuppleat, ex dictis ſupra *Dub.* 2. & 3.

94. Advertit tamen D. Lamperez *n.* 347. illum, qui ante præſentem Conſtitutionem promoveri incœpit, hac promulgata, afferre teneri Teſtimoniales ab illis DD. Epiſcopis, ac in illis caſibus præſenti Conſtitutione præfixis. Quod verum judico, eſtò ante prædictam Conſtitutionem gauderet titulo, quo præſenti Conſtitutione Teſtimonialibus non egeret: unde filius Medici natus in oppido, in quo Pater non domicilium contraxit, ſed locatus extitit, ante præſentem Conſtitutionem intelligebatur Originarius Epiſcopi illius loci, ubi natus fuit; præſenti tamen Conſtitutione, origo naturalis Patris pro origine talis filii aſſignatur; dicimus ergo quod prædictus filius, ut promoveatur ab Epiſcopo Originis paternæ, eget Teſtimonialibus Epiſcopi loci ubi natus naturaliter fuit, ſi ibi tantam moram traxerit, ut potuerit Canonico impedimento irretiri. Ratio eſt. Quia licèt in

præ-

præſenti Conſtitutione prędicta Teſtimonialia expoſcantur pro filiis ex accidenti natis,& tempore quo prædictus filius inibi natus fuit, originarius illius loci, & non ex accidenti natus, cenſebatur, tamen, cum ſuperveniente præſenti Conſtitutione, res integra maneret, diſpoſitio præſentis Conſtitutionis retrotrahitur ad tempus nativitatis dicti filii, deſinitque eſſe originarius loci, in quo natus eſt. Reliqua de Teſtimonialibus litteris, *quæſt.* 3. *dub.* 12. *&* 13. dabit à *n.* 276.

# Titulus Originis.

POST Beneficium, ejuſque qualitates, ut quis ad ordines promoveri poſſit, præſens pergit Conſtitutio ad Originis titulum, ubi ut nimiam varietatem in Auctoribus repertam, reſpectu hujus tituli, extingueret, ſequentia SS. Innocentius decernit.

95. *Cæterum ſubditus ratione Originis is tantum ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad ordines promoveri deſiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantum, & naturalis Patris Origo erit, attendenda.*

96. *Quodſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras Teſtimoniales, ut ſupra, obtinere; illaſque Epiſcopo ordinati, per eum in Collatorum Ordinum Teſtimonio ſimiliter recenſendas, præſentare teneatur.*

97. *At ſi Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiu, ac eo animo permanſerit, ut inibi vere Domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo Patris, ſeu Domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro ordinatione ejuſdem filii attendi debeat.*

98. Antequam ad dubia procedamus, adnotare oportet, quod adverbium *cæterum* in præſenti, idem ſignificat ac *ultra hæc*, licèt enim, Calepino teſte, ſignificet etiam *in poſterùm*, ex contextu tamen videtur valere pro *ultra*, alias inevitabiles confuſio-

fuſiones orirentur; natus enim ante prædictam Conſtitutionem prætenderet ſuam ad ordines Originem regulare placitis Auctorum potius quàm præſentis Conſtitutionis Decreto, eo nixus fundamento, quod hæc Conſtitutio loquatur de impoſterum natis, non de illis, qui ante illa nati fuerunt, quod alienum videtur à mente SS. Innocentii, maxime re integra manente, ut ſupra *n. 94.* dicebamus. Dixi *re integra manente*, quia ſi ante præſentem Conſtitutionem Epiſcopus promovere Titium incepit, & eo titulo eo tempore probabili, ac præſenti Conſtitutione refragato, probabile eſt, quod poſſet continuare, ex traditis à Barboſſa *Jur. univerſ. lib. 1. cap. 2. n. 114.* Ubi dicit, jus quæſitum tollere, alienum eſſe à mente Pontificis in ſuis diſpoſitionibus, quodque infertur *ex cap. ſi tibi cui de Præbendis in 6.*

99. Inſuper adnotandum, quod per ly, *naturaliter ortus eſt.* Excluduntur conceptio, adoptio, ac Baptiſmus; unde, ut quis Originarius ſit ad Ordines alicujus Diœceſis, non ſufficit eſſe in ea conceptum, in filium adoptatum, ac lavacro Baptiſmi regeneratum, hæc enim nativitatis naturalis rationem minimè participant, ut per ſe patet, ac erudite reſolvit D. Lamperez, *n.399.*

## QUÆSTIO II.

*Qualiter Titulus Originis intelligendus, ut quis poſſit Ordinibus initiari.*

PLura de hoc titulo apud Auctores controvertuntur, ea tamen in præſenti, quæ attenta noviſſima SS. Innocentii diſpoſitione difficultatem aliquam ingerunt, diſputabimus.

DUBIUM I. *An quando Pater Domicilium contraxit in Oppido alicujus Diœceſis, & filius caſualiter natus eſt in alio ejuſdem Diœceſis, filius ſit Originarius ejuſmodi Diœceſis.*

100. CAſum claritatis gratia confingamus. Petrus, cum naturaliter ortus fuerit in Turolenſi Diœceſi, in Cæſarauguſtana Sedem domicilii fixit, Cęſar-auguſtę v.g. quo tempore in alio Oppido ejuſdem Cęſar-auguſtanæ Diœceſis ex acci-

denti

denti Petro filius natus eſt: quærimus, an iſte filius originarius ad ordines ſit Diœceſis Cæſarauguſtanæ, ubi natus eſt, an Turolenſis, ubi natus eſt Pater. Videtur eſſe Turolenſis Diœceſis originarius; nam ſi quando filius ex accidenti naſcitur in una Diœceſi, originarius eſt illius, in qua Pater naturaliter ortus eſt, ut patet ex præſenti diſpoſitione; cum prædictus filius in Cæſarauguſtana Diœceſi ex accidenti ortus fuerit, ejus origo ad ordines Diœceſis erit Turolenſis:

101. Sed oppoſitum tanquam certum tenendum eſt; licèt enim prædictus filius caſualiter natus ſit in illo oppido Cæſarauguſtanæ Diœceſis, non tamen in ea Diœceſi ſic natus eſt: cum enim in memorata Diœceſi Pater domicilium fixerit, conjici nequit in ipſa caſualiter natum fuiſſe filium, immo naturaliter & ſine caſualitate ibi natum fuiſſe coniiciendum eſt. Quod amplius ex dicendis dub. ſequenti clarebit. Ad rationem dubitandi dicimus, quod hic filius ex accidenti in ea Diœceſi minime natus fuit, ſed in oppido ejus Diœceſis, at cum Pater in illa Diœceſi domicilium habeat, in ea non ex accidenti naſcitur filius, ratione enim domicilii paterni in prædicta Diœceſi, reputatur filius ac ſi in oppido domicilii paterni naſceretur.

102. Sed quid ſi Pater in prædicto caſu duplex domicilium in diverſis Diœceſibus haberet, cujus Diœceſis erit ejus filius ad ordines originarius? Duplex domicilium ſimul componi poſſe, docet Albarus Valaſco, *tom. 1. allegat. 5. à n. 37. ex leg. aſſuptio. §. Juriſprudentibus, ff. ad mancipal. Gloſ. V. Domicilium, in c. cum nullus, de temporibus ordinat. in 6. Gloſ. 1. & leg. penultima, ff. de Senatoribus*. Ubi Juriſconſultus dixit Paulus, quod Senator eò quod ad locum diverſum ſuæ originis tendat, ut ibi officium ſuum exerceat, non ex eo quod in ibi domicilium acquirat, domicilium in loco ſuæ nativitatis, vel originis amittit, nam intuitu Dignitatis, quam exercet, domicilium potius extenditur, quam mutatur, unde in duplici loco domicilium acquirit ſimul: in hocque caſu quæritur, cujus Diœceſis, filius contingenter natus, erit originarius, vel an utriuſque.

103. Pro deciſione ſciendum eſt, quod quando leges, & Auctores citati duplex concedunt ſimultaneum domicilium, vel utrumque eſt habitationis, vel unum habitationis, & aliud ori-

 ginis:

ginis: ſi primum, negamus tale duplex domicilium ad effectum ſuſcipiendi ordines, ei enim præſens Conſtitutio inficiatur, ex dicendis, *quæſt.* 3. *dub.* 6. *n.* 226. Si II. permiſſo tali duplici ſimultaneo domicilio, ſciendum eſt etiam, quod domicilium originis Patris non tribuit filio ad ordines originem, hanc enim ſolum tribuit ipſi filio domicilium habitationis Patris, id eſt, ſi Pater habet domicilium habitationis, in aliqua Diœceſi, in eaque filius oriatur, hujus erit ſolum modo filius ad ordines originarius, non alterius ubi Pater habet originis domicilium, niſi caſu, quod Pater nullibi domicilium habitationis habuerit, tunc enim, cum filius ex accidenti oriatur, vi præſentis Conſtitutionis recurritur ad Diœceſim, ubi Pater naturaliter, & vere ortus eſt, & in qua domicilium originis habere Patrem poſſe, non inficiamur. His prænotatis.

104. Facilime à propoſito dubio expediemur: dicimus namque, hujuſmodi filium, in caſu propoſito, originarium ad ordines eſſe illius D. Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſedem domicilii habitationis Pater fixit, dummodo in eadem filius natus ſit, non vero illius, ubi Pater domicilium originis habet; quia cum in Diœceſi domicilii habitationis Patris filius ſupponatur naturaliter ortus, & non in loco domicilii paternæ originis, & ſolius Diœceſis, ubi filius naturaliter natus eſt, iſte ſit originarius, non poteſt originarius eſſe illius Diœceſis ubi naturaliter ortus non eſt. Sed quid, ſi filius oriatur in Diœceſi originis Patris, qui in alia habet domicilium habitationis, cujus erit filius originarius? Solutio hujus dubii, ſequenti dubio dabitur.

105. Interim ad notandum, quod ſi prædictus Pater, qui duplex domicilium aliud originis, aliud habitationis habet, promoveri voluerit, utroque Epiſcopo valebit, ſed non eodem titulo: cum Epiſcopo enim habitationis, promoveri poterit titulo domicilii, & cum Epiſcopo domicilii originis, titulo originarii, dummodo ibi ex accidenti natus non fuerit, quæ omnia ſatis ex ſe apparent, nec majori indigent diſcuſſione.

DU-

DUBIUM II. *Cujus Epiſcopi erit Originarius ad ordines filius, fortuitò natus extra Diœceſim Paterni domicilii.*

106. DUpliciter contingere poteſt hæc caſualis nativitas, poteſt namque filius oriri in una Diœceſi, Patre nec in ea, nec in altera domicilium habente, vel poteſt oriri in in una Diœceſi, habens Pater verum habitationis domicilium in altera, quæritur, num præſens SS. Innocentii Conſtitutio, qua cavetur, quod filius ex accidenti natus, originarius ſit ad ordines, non Epiſcopi loci in quo fortuitò natus ſuit, ſed Epiſcopi veræ & naturalis nativitatis Patris, intelligenda ſit, etiam quando filius fortuitò natus eſt in una Diœceſi, licèt ejus Pater verum habeat domicilium in alia, ita ut etiam in hoc caſu dictus filius nequeat ad ordines originarius eſſe Epiſcopi domicilii paterni, ſed Epiſcopi naturalis paternæ nativitatis.

107. Pro deciſione ſnpponendum eſt I. Indubitatum eſſe apud Auctores, filium natum in loco domicilii habitationis paterni, originarium ad ordines eſſe Epiſcopi dicti paterni domicilii, conſtatque expreſsè ex Conſtitutione præſenti. II. non minus indubitatum, quod quando filius naſcitur in una Diœceſi, ejuſque Pater nec in ea, nec in altera verum domicilium habitationis habet, dictum filium originarium ad ordines eſſe Epiſcopi, ſeu Diœceſis, ubi prædictus Pater vere, & naturaliter ortus fuit, quod etiam ex præſenti diſpoſitione conſtat, & quærimus, an hæc diſpoſitio, quæ indubitanter caſum, in quo Pater nullibi domicilio gaudet, complectitur, comprehendat etiam caſum in quo filius naſcitur in una Diœceſi, Paterque in alia verum domicilium habet.

108. Reſpondetur, quod in dicto caſu filius non eſt originarius Diœceſis paternæ naturalis nativitatis, ſed Diœceſis paterni habitationis domicilii, & ita cenſuerunt Juris periti, graviſſimique Prælati in hoc puncto ſpecialiter conſulti: Ptobaturque I. ex diſpoſitione Juris Canonici, ac Civilis, *nam in cap. cum nullus, de temporibus ordinat. in 6.* Epiſcopus originis præſcribitur ad ordines, ubi promovendus eſt oriundus; ſed inegabile eſt filium oriundum eſſe illius Loci, in quo Pater domicilium

 habi-

habitationis poſſidet tempore, quo natus eſt alibi filius: ergo ejuſmodi Loci erit ad ordines originarius. Minor conſtat, *ex leg. filios Cod. de municip. & orig. ibi: filios originem Patris, non in materna Civitate, & ſi ibi nati ſint (ſi modo non domiciliis retineantur) ad honores, & munera, &c.* Ubi conſtat, quod filii originariii ſunt illius Civitatis, in qua Pater domicilium contraxit, ſive inibi, ſive alibi nati fuerint. DD. *in cap. Rodulphus, de reſcript.* Barboſſa, *Alleg. 4. num. 7. & 33.*

109. Probatur II. præſenti SS. Innocentii Conſtitutione, in qua tanti paternum habitationis domicilium æſtimatur, ut poſtquam veram ac naturalem originem paternam pro origine ad ordines filio caſualiter nato, aſſignavit, addit, quod ſi Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, inibi verè domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo Patris, ſed domicilium per Patrem legitimè contractum pro ordinatione ejuſdem filii attendi debeat: ſi igitur domicilium nativitati caſuali filii poſterius à Patre electum, originis titulum tribuit filio, abraditque priorem in præſenti diſpoſitione aſſignatum, ſignum eſt, quod quando SS. Innocentius in præſenti Conſtitutione originem naturalem paternam pro origine filii, caſualiter nati, aſſignavit, non fuit ſuæ mentis hanc aſſignare pro caſu quo Pater verum haberet domicilium alibi, tempore caſualis nativitatis filii: non enim apparet in domicilio poſteriori circunſtantia tanti ponderis, quod ad iſtud pro origine admittendum, & domicilium antecedens excludendum, moveret.

110. III. Probatur: filium enim originarium ad honores, munera, & ordines eſſe illius Loci in quo Pater domicilium habitationis contraxit, licèt inibi naturaliter non ſit natus, eſt fere omnium Communiſſima, ac plauſibilis opinio, ut pote, *d. cap. cum nullus.* fundata. Quodque ad honores & munera attinet, docet Carleval, *tom. 1. de Judic. diſp. 2. n.* 102. eiſdem fere noſtræ Conſtitutionis verbis, ibi: *Dicendum eſt, ut filius acquirat originem propriam in Civitate, vel Regno, in quibus Pater domicilium habet, non requiri veram, & realem nativitatem in Civitate, vel loco domicilii paterni; ſed ſatis eſſe nativitatem ibi contingentem Juris fictione: exemplum eſt in filio nato in itinere, aut tranſitu extra locum domicilii paterni, aut nato in loco in quo Pater ad tempus habitat,*

*bitat, cum animo ad ſuum domicilium revertendi, à quo profectus eſt, aut negotiorum cauſa, aut alicujus alterius occaſionis abſentiæ temporalis, aut miniſterii, aut officii exercendi, militiæ, aut ſervitii Regis: iſte enim filius ſic natus, Juris cenſura cenſetur natus apud paternum domicilium: & ſicut fortuita iſta nativitas originem non dat, ita eam non tollit*. Conſonant Antunez, *lib. 2. de donat. Reg. cap. 6.* Villar *Patron. de Calatayud, part. 9. coſtumb. 4. n. 16. V. Decimo tertio*, & citat Rebuffum.

111. Quod autem ad ordines attinet, ipſam Carlevalli ſententiam docent Diana, *p. 8. tract. 2. reſolut. 11.* P. Gobat *experiment. Theolog. tract. 8. caſu 7. n. 279.* addens hanc eſſe Canoniſtarum, & Legiſtarum Communiſſimam. Baſſeus *flores Theoleg. V. ordo 3. ibi: Hinc mulier prægnans, ſi extra Diœceſim ſuum filium parit, filius alibi natus, originem ibi traxit, ubi parentes domicilium habebant*: citatque Sanchez *de Matrimonio, lib. 3. diſp. 23. n. 3.* idem docet Navarrus, *conſil. lib. 3. conſil. 2. n. 1. juncto ſummario, de Parochiis*. Ugolinus *de poteſt Epiſc. cap. 26. §. 1. n. 5. Barboſſa de poteſt. Epiſc. alleg. 4. n. 19. & 20.* ubi aſſerunt, originem habere filium in domicilio patris, ſi in mari natus ſit, cùm igitur hæc opinio ſit Communior, ac utrique Juri conformior, non apparet præſenti Conſtitutione exterminatam fuiſſe: ergo dicendum, præſentem Conſtitutionem, ejuſque diſpoſitionem, *n. 95.* relatam, non intelligendam de nativitate caſuali filii, ſupponente verum domicilium alibi in Patre.

112. Sed huic reſolutioni obſtare aperte videtur præſens SS. Innocentii Conſtitutio, in ea enim diſponitur, quod ut quis ſit, aut cenſeatur originarius, ad ordines, alicujus Diœceſis, debet in ea naturaliter oriri; at in caſu quo quis oriatur caſualiter in una Diœceſi, tempore quo ejus Pater habet in alia verum domicilium, dictus filius non oritur in Diœceſi paterni domicilii naturaliter, ſed juris fictione, ut vocant Juris periti: ergo nequit talis filius eſſe originarius Diœceſis, in qua Pater domicilium habet; deficit enim ipſi nativitas naturalis, & ſine qua non valet originarius eſſe, aut proclamari.

113. Reſpondetur tamen I. quod Conſtitutio præſens dum in præcitatis verbis diſponit, neminem eſſe, aut cenſeri poſſe originarium alicujus Diœceſis, niſi in ipſa naturaliter ortus

fuerit,

fuerit, eo tendit, ut excludatur filius ne ſit originarius ad ordines illius Diœceſis, ubi ejus Pater, Avuſque nati fuerunt, quod opinarunt multi & graves Doctores: unde prædicta verba, *qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi*, eo tendunt, ut excludant dictum filium, ne ſit originarius illius Diœceſis in qua ejus Pater natus fuit, quia in ea dictus filius naturaliter ortus non fuit, ſed ad ſummũ fictione juris, ſicque explicat prædicta verba D. Lamperez, *n.* 398. eſtque meo videri genuinus eorum ſenſus.

114. An autem ſicut per prædicta verba, *qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi*, *&c.* excluditur filius, ne ſit originarius Loci paternæ originis, ita excludatur locus paterni domicilii, quando naturaliter in ipſo natus non fuit, hoc opus, & labor: dicimus tamen, quod licèt filius natus naturaliter non fuerit in Diœceſi paterni domicilii, ſed in alio, eſſe originarium ad ordines Epiſcopi domicilii paterni, quia per prædicta verba intendit SS. Innocentius excludere originem paternam, non paternum domicilium ab origine talis filii, propter rationes ſupra memoratas.

115. Reſpondetur II. quod quamvis prædictis verbis, *naturaliter ortus eſt*, *&c.* excluderetur caſus nativitatis fictus, noſter, & ſi fictus minimè excluderetur: Leges enim caſum verum expoſcentes, fictumque excludentes, comprehendunt caſum fictum, quando iſte in omnibus & per omnia vero æquiparatur, *cap. ad audientiam*, *cap. cum dilectus*, *de Clericis non reſidentibus*, *leg. cum ex oratione*, *ff. de excuſa tut. leg. eum in adoptivis*, *ff. de adoptione*.

116. Exemplum habemus in terminis hoc in noſtro Aragonum Regno, ubi duplex extat lex, ſive Forus (ſic vocantur Leges in prædicto Regno) I. *qui eſt ſecundus de Prælaturis*, ſtatuit, quod omnia Beneficia prædicti Regni conferantur Regnicolis, verè, & non per fictionem, natis in ipſo Regno. II. qui eſt *Forus actus Curiarum ſuper filis Regnicol. extra Regnum natis*, diſponit, quod Regni naturales, qui animo reddeundi, à dicto Regno egrediuntur, ſi extra Regnum filios procreaverint, & cum ipſis ad Regnum reddierint, tamquam nati, & naturales Regni habeantur. In terminis hujus ſecundæ diſpoſitionis dubitatum fuit, an dicti filii excludendi eſſent à Beneficiis, eo quod ſolum in eo nati fuerunt fictione juris, quamque nativitatem

pri-

primus citatus Forus de Prælaturis excludit expreſsè. Cui dubio eruditiſſimus Bardaxi, *in Comment. ad For. 2. de. Prælat. n. 5. verſ. Sed inſpectis verbis*, cui conſonat Villar citatus, *n. 6. verſ. De donde*, praxiſque Tribunalium dicti Regni, reſpondit, quod licèt dicti filii nati non fuerint naturaliter in dicto Regno, ſed fictione juris dumtaxat, admittendos tamen ad Beneficia dicti Regni eſſe, quia quando lex caſum fictum excludit, non intelligenda venit de caſu ficto, qui in omnibus, & per omnia vero æquiparatur, citatque pro ſua opinione quamplurimos, quamque praxis Regni inconcuſſa confirmat.

117. Cùm igitur caſus in quo filius ex accidenti naſcitur in una Diœceſi, tempore quo ejus Pater domicilium in alia habet, in omnibus, & per omnia æquiparetur caſui, in quo idem filius in loco paterni domicilii oritur, indè eſt quod ſicut in hoc caſu filius originarius eſt ad ordines Epiſcopi domicilii paterni, ita in illo: licèt enim iſte caſus ſit fictus, æquiparatur tamen in omnibus, & per omnia alteri, quod ſufficit, ut à lege caſum fictum excludente, iſte, licèt fictus, non excludatur. Nec item obſtat particula taxativa, *tantum*, ibi: *Cæterum ſubditus ratione originis is tantùm ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt, &c.* Ubi ly *tantùm* excludere videtur ab origine alicujus Loci, in eo naturaliter non natum: Reſpondetur enim, quod particula *tantùm*, ut docent Navarro, *lib. 1. conſil. 25. de temporib. ordinat.* P. Gobat. *tract. 8. caſ. 14. n. 570.* Et ſi taxativa, non excludit ea, quæ ſecundum æquitatem Canonum, & Legum includenda ſunt: cùm ergo quod filius originarius ſit Loci in quo Pater domicilium habet, licèt in alio natus fuerit, æquitati Canonum, & Legum conforme ſit, ex dictis, ideò per ly *tantùm* minimè excluditur, firmatque Jordanus *elucubrat. vol. 1. lib. 3. tit. 6. n. 33.* omnino videndus.

## DUB. III. *Doctrina Præcedentis dubii variis caſibus occurritur.*

118. NOtandum eſt, quod ut filius dicatur, cenſura præſentis Conſtitutionis, accidentaliter natus in aliquo loco, debet in eo Pater aliqua temporali mora, ſeu permanentia retineri, id eſt, quod pro aliquo tempore in eo permanere decreve-

creverit, nec requiritur, quod tempore partus ibi exiſtat, ſed ſufficit quod ad dictum locum venerit, cum animo ibi per aliquod tempus permanendi, licèt partus tempore ibidem non exiſtat, quia alibi, ob aliquod negotium, ſe divertit: Hunc enim ſenſum habent ea verba: *dummodo ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, officii, Legationis, mercaturæ, vel cujuſvis alterius moræ, ſeu permanentiæ temporalis ejus Patris in illo loco*: Unde ſi remanente Patre in Diœceſi ſui domicilii, Mater ad aliam ſe diverterit, in iſtaq; filium ediderit, filius originarius erit ad ordines Epiſcopi domicilii paterni, quia Pater nulla mora temporali in loco ubi dictus filius natus eſt detinebatur.

119. Similiter in caſu quo in eodem oppido ſint Parochię diverſarum Diœceſum, & Patres recreationis cauſa, vel alio motivo è Parochia ſui domicilii ad Parochiam alienæ Diœceſis pro brevi temporis ſpatio ſe diverterint, in hacque Mater filium ediderit, filius originarius erit Epiſcopi domicilii paterni, ut cùm Baſeo citato diximus ſupra *n.*111. non enim hæc eſt nativitas accidentalis, qualiter præſenti Conſtitutione expoſcitur, cùm pater nec itinere, nec mora temporali propriè dictis detineatur ibi; & cui verba legis non comprehendunt, nec convenit ejus diſpoſitio, *leg.*4. *§.Toties*, Barboſſa *Axiomata Juris, Axiomate* 136. *n.* 8.

120. Caſu tamen, quod Pater nullibi domicilium habeat, ac Mater, & Pater per diverſas Diœceſes divagentur; in alteraque filius oriatur, originarius erit ad ordines Epiſcopi paternæ naturalis originis, quia licèt in loco ubi dictus filius natus eſt, Pater nec itinere, nec alia mora detentus ſit, cùm tamen, ſecundum Conſtitutionem præſentem, origo filii ad ordines dumtaxat ſit, vel locus domicilii, vel originis paternæ, deficiente in Patre domicilio, ad naturalẽ Patris originem neceſſario recurrendum eſt.

121. Infertur etiam, quod ſi Pater divagetur, vel exerceat temporalem occupationem in aliqua Diœceſi, domicilium in alia relinquendo, in iſtaque filius oriatur, tempore quo dictus Pater occupationem temporalem exercet, filius originarius erit paterni domicilii, quia naturaliter ortus eſt in loco domicilii paterni; at quando filius naſcitur in loco ubi Pater domicilium contraxit, nemini dubium eſt, originarium ad ordines eſſe Loci Paterni domicilii: ergo. Idem dicendum, quando Pater habens

bens domicilium in aliqua Diœceſi, ad aliam ſe divertit, vel ad fructus legendos, vel fugiendo peſtem, aliudve damnum, cum animo tamen redeundi finitis peſte, militia, fructuumque collecta, & in illa temporali mora oritur filius, hic enim originarius ad ordines eſt Epiſcopi domicilii paterni, quia ex dictis dubio antecedenti, præſens Conſtitutio non comprehendit filium ortum in mora temporali Patris, quando hic conſervat alibi ſuum domicilium, & ita docent Pater Gobat cit. *tract*. 2. *caſu* 4. *n*. 133. Villar, *n*. 6. *verſ. De donde à contrario*, & *n*. 21.

122. Infertur ſimiliter, quid dicendum dubio, *n*. 104. propoſito, in caſu Senatoris duplex domicilium habentis, aliud habitationis in una Diœceſi, & aliud originis in altera Diœceſi, cuique in Diœceſi domicilii originis filius naſcitur, cujus namque filius originarius ad ordines erit. Dicendum, originarium eſſe illius Diœceſis, in qua Pater domicilium contraxit habitationis, Barboſſa *allegat*. 4. *n*. 34. citans Campanil. Quia origo naturalis Patris in præſenti Conſtitutione aſſignatur pro filio ex accidenti nato, juxta mentem ejuſdem Conſtitutionis; at mens prædictæ Conſtitutionis non eſt comprehendere filium accidentaliter natum in una Diœceſi, tempore quo Pater verum habet domicilium in alia: ergo in noſtro caſu filius erit originarius Epiſcopi paterni domicilii, & non paternæ originis. Minor ex dictis dub. antecedenti ſatis conſtat.

123. Infertur tandem, quod ſi Pater itenerando, officium, Legationem, vel aliam occupationem temporalem exercendo, moriatur, poſt ejuſque mortem, filius oriatur in ipſo loco temporalis permanentiæ Patris defuncti, eſſe ad ordines Poſtumum originarium Loci naturalis originis paternæ, niſi Pater tempore mortis in ea Diœceſi, in qua mortuus fuit, vel alia, domicilium haberet, uxorque relicta in mariti domicilio continuare voluerit, nam in hoc caſu originarius erit Loci paterni domicilii, ex dictis. Si tamen Mater vidua ante partum domicilium de Jure contrahat, ſive in ipſo loco, ubi ejus Maritus temporali permanentia fuit detentus, vel in alia Diœceſi, Poſtumus originarius ad ordines erit ejus Loci in quo Mater novum domicilium contraxit, temporeque ſui partus permanet, quia, ut docet Villar, *n*. 20. Gobat, *tract*. 8. *caſu* 7. *n*. 299. domicilium Matris

tribuit domicilium habitationis filii: ergo & originis: ſi enim quando filius naſcitur in loco domicilii paterni, ejuſdem Loci filius originarius ad ordines eſt, cur filius natus in loco Materni domicilii, mortuo eo tempore Patre, ipſius Loci domicilii materni originarius non erit? Colligiturque ex doctrina Pacis Jordani, *elucubrat. volum.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 50. ibi: *In domicilio non attenditur maternum, ſed paternum, niſi pro naturalibus, vulgo quæſitis, aut quando paternum deficit*, citatque Piaſecium *in prax. Epiſc. p.* 1. *cap.* 1. *n.* 9. Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 23. *n.* 1. & expreſſe tenet Navarrus citatus ſupra *n.* 111.

124. Sed quid ſi Mater, in caſu dicto, domicilium, in loco permanentiæ temporalis Mariti jam mortui, elegit, Poſtumo jam nato? Fortè coaptari valent Matri verba præſentis Conſtitutionis: *at ſi Pater in alieno loco, ubi ejus filius, natus eſt, &c.* ſupra *n.* 97. relata, & quæ de Patre loquuntur? Negativè reſpondendum cenſeo, quia præſens Conſtitutio in citatis verbis de ſolo Patre domicilium, nato filio, eligente loquitur, valdeque dubium in Jure eſt, quod domicilium Matris tribuat filiis natis domicilium, eſtò cùm illa morentur, animo perpetuò ibidem habitandi, ut allegat Navarrus, *lib.* 1. *conſil. de temporibus ordinat. conſil.* 2. *n.* 5. & 6. ergo multo minus domicilium Matris tribuere poterit domicilium originis filiis jam natis.

## DUBIUM IV. *An Baptiſmus in aliquo caſu Originem ad ordines tribuere valeat.*

125. DIximus ſupra, Baptiſmum non tribuere originem, eo quod iſte dumtaxat ſit ſpiritualis nativitas; præſens autem Conſtitutio pro origine nativitatem tantùm naturalem, modo non ſit caſualis, expoſcit, undè per nativitatem naturalem, à præſenti Conſtitutione expetitam, excluditur Baptiſmus, conceptio, adoptio, & ſimilia, quæ rationem naturalis nativitatis minimè participant: ex quo improbabilis manet ſententia plurium aſſerentium, Baptiſmum tribuere veram ad ordines originem, dicebant, namque, quod ſi Titius natus naturaliter in alia Diœceſi fuiſſet, in alteraque baptizatus, Epiſcopus tum nativitatis, tum Baptiſmi poterant Titium ad ordines

titulo

titulo originis promovere, quodque intuitu præſentis Conſtitutionis, Baptiſmum excludentis, dici non valet.

126. Quærimus igitur, num ita præſentis Conſtitutionis verbis Baptiſmus ſit expunctus, ut in ullo caſu valeat originem tribuere. Dubium in duplici ſenſu exagitari poteſt, I. Ita ut de promovendo certò conſtet locus in quo natus fuit naturaliter, licèt ibi baptizatus non fuerit, ſed in alia Diœceſi, II. Ita ut de loco Baptiſmi conſtet, non autem de loco in quo natus naturaliter fuit. In primò ſenſu certum eſt Baptiſmum non tribuere ad ordines originem, ex dictis *n.* antecedenti, ſolumque tribuit locus, in quo naturaliter dictus promovendus ortus eſt, dummodo ibi ex accidenti natus non fuerit, quo caſu orginem naturalem paternam pro origine vendicabit, & ante prædictam Conſtitutionem ita, quod ad excluſionem Baptiſmi, docuit Trullench, *tom.* 3. *lib.* 4. *cap. unic. dub.* 7. *n.* 3.

127. Secus tamen dicendum in ſecundo ſenſu, unde ſi locus, ubi Titius natus eſt, ignoretur, conſtat tamen de loco ubi Baptiſmum ſuſcepit, Loci Baptiſmatis originarius erit, dummodo conſtet inibi Patrem Titii domicilium tempore nativitatis dicti Titii habuiſſe, alioquin originarius erit Loci in quo Pater memorato nativitatis tempore ſedem domicilii habebat, quod ex dictis ſatis ſuperque conſtat ſi tamen de domicilio paterno in aliquo loco, pro tempore nativitatis filii, minimè conſtet, tunc natus ex accidenti cenſetur, originemque pro ſic natis in præſenti Conſtitutione aſſignatam, ut initiari valeat, vendicabit. Caſu vero, quod filius in loco paterni domicilii ſit natus, in alia autem Diœceſi baptizatus, paterni domicilii originarius erit, quia in eo naturaliter, nonque ex accidenti, natus.

128. Cæterum ſi filius natus fuerit in loco ubi Pater habuit domicilium ante ortum dicti filii, dubitatur tamen an tempore nativitatis filii inibi domicilium conſervaret, in eoque loco baptizatus inveniatur filius, originarius videtur Loci Baptiſmatis, præſumitur enim in loco paterni domicilii baptizatum fuiſſe, maximè cùm Pater obligetur filium in loco ſui domicilii baptizare, etiam ſi extra illum oriatur, dummodo diſtantia Loci nativitatis, ſpatium trium horarum non excedat, ut docet Gobat cit. *tract.* 2. *caſ.* 4. *n.* 133. quodque ex doctrina Angelici Ma-

 giſtri,

giſtri, Subtiliſque Scoti colligit: & culpa non præſumitur, niſi probetur.

129. Undè regula generalis pro invenienda ad ordines origine hæc eſt, ut nato filio, vel Pater eo tempore alicubi domicilium habebat, vel non? Si domicilium habebat, filius erit originarius paterni domicilii, ſive in eo natus fuerit, aut non: ſi Pater nullibi, tempore nativitatis filii, domicilium contraxit, originarius erit Loci paternæ naturalis originis, id eſt Loci in quo Pater naturaliter ortus eſt, niſi Pater in loco ubi filius ex accidenti natus fuit,ſedem poſtea domicilii de Jure contraxerit, quod tũ ex præſenti Conſtitutione, tũ ex dictis abunde conſtat.

DUBIUM V. *Utrum diſpoſitio præſentis conſtitutionis de origine filii ex accidenti nati, locum habeat caſu, quo Pater ex accidenti etiam natus fuerit.*

130. PRæſenti Conſtitutione cavetur, quod ſi filius ex accidenti natus fuerit, ejus origo ad ordines ſit locus, in quo ejus Pater naturaliter ortus eſt, quæritur, num præſens diſpoſitio locum habeat, caſu quo Pater etiam ex accidenti natus fuerit. Reſpondeo affirmativè; nam quod Pater in eo loco ex accidenti ſit natus, non tollit quod inibi naturaliter ortus fuerit; nec enim ortus naturalis, & ex accidenti opponuntur, ut per ſe patet; cum ergo præſens Conſtitutio, in noſtro caſu, ortum dumtaxat naturalem Patris expoſcat, hinc eſt, quod ejus diſpoſitio locum habeat, etiam ſi Pater in eo loco caſualiter natus ſit. Quæ doctrina vera eſt, etiam ſi Pater natus ita ſit accidentaliter in eo loco, quod ratione domicilii ab ejus Patre contracti, originarius ad ordines non ſit Loci caſualis ortus, ſed Loci paterni domicilii, juxta dicta ſupra *n.*108.*&* 114. quia hoc non tollit, quod Pater naturaliter ſit ortus in loco, ubi caſualiter ortus eſt, & præſens Conſtitutio in noſtro caſu ad nativitatem naturalem dumtaxat attendit, non ad aliam alterius Loci, quæ tantum fictione juris origo Patris eſt.

131. Sed dices,origo naturalis paterna in noſtro caſu adſcribitur filio, ut titulo originis poſſit ad ordines promoveri; at ſi Pater ipſo originis titulo promoveri voluerit,ab Epiſcopo Loci,

in quo ex accidenti ſupponitur nàtus, minimè valet, ut in terminis præſentis Conſtitutionis certiſſimum eſt: ergo nec filius. Reſpondetur negando conſequentiam, nam in dicta Patris nativitate duo valde ex ſe diverſa concurrunt, & quod ejus nativitas ſit caſualis, & quod naturalis ſit, quatenus caſualis impedit Patri ne ad ordines promoveri titulo originis valeat, cæterum quatenus naturalis eſt, tribuit filio originem, ut hoc titulò ab illius Epiſcopo promoveri valeat: præſens enim Conſtitutio, pro origne filii caſualiter nati, naturalem dumtaxat nativitatem Patris expoſcit, præcindendo ab eo, quod hæc ſit, ſive non caſualis: & quidem meritò, nam ſi caſualis nativitas Patris tolleret filio accidentaliter nato originem, poſſibilis eſſet caſus, quo dictus filius origine ad ordines careret, ſi namque non ſolus Pater, ſed Avus, Abavus, Atabuſque caſualiter nati fuiſſent, quod impoſſibile non eſt.

## DUBIUM VI. *Quæ erit origo filii ex accidenti nati, caſu quo locus in quo Pater natus eſt, vel Epiſcopo caret, vel eſt Schiſmaticus.*

132. V. G. Schiſmaticus uxoratus ad Curiam Principis Catholici Legatione, aliove miniſterio advenit, in illaque filius ei naſcitur, quique Catholicam amplectitur fidem, ad ordineſque promoveri deſiderat, quæritur, quis ſit dicti filii originis Epiſcopus, qui ipſum titulo originis promovere valeat: Non is ubi natus eſt, cùm inibi ex accidenti ortus fuerit: Non item Epiſcopus paternæ originis, cùm vel Epiſcopo careat, vel Schiſmaticus ſupponitur, à quo nequit Catholicus ordines ſuſcipere, *cap. ordinationes*, 9. *quæſt.* 1. quis ergo?

133. Reſpondetur, non eſſe improbabile, quod ſi dicti filii Mater fuerit Catholica, in locoq; ſuæ naturalis originis adſit Catholicus Antiſtes, hic poſſit titulo originis ad ordines promovere, paritate ab illegitimis ſumpta, quibus origo Matris ſuffragatur, loco Parentum incognitorum; at Patrem carere circunſtantiis, ut poſſit filio originem ad ordines tribuere, & Patrem ignorari, quo ad hunc effectum, idem prorſus eſt: ergo ſicut in illegitimis origo naturalis Matris attenditur, ſic in noſtro

ſtro

ſtro caſu attendi, non improbabile erit. Idem prorſum dicendum, eſtò prædictus Orator Catholicus fuerit, temporeque ſuæ Legationis locus ſuæ naturalis originis ab inimicis Eccleſiæ occupatus fuerit, in eoque Antiſtes Schiſmaticus dumtaxat inveniatur, propter eandem rationem.

134. Cæterum ſi Mater etiam Schiſmatica fuerit, recurrendum ad Sedem Apoſtolicam, quæ originis Epiſcopum, ut dictum filium ad ordines promoveat, aſſignet, verius, & ſecurius cenſeo, inferturque, *ex cap. fraternitatem*, 71. *diſtinct.* Ubi Clericus propria Eccleſia ſpoliatus, eo quod inimici ipſam occuparunt, Apoſtolica auctoritate in alia Eccleſia fuit adſcriptus, ibi: *Præſentibus duximus concedendum, habituro licentiam Diaconum illum, noſtra interveniente auctoritate Eccleſia tua, Deo propitio, conſtituere cardinalem*. Pariformiter igitur in noſtro caſu, deficiente proprio Epiſcopo originis, ad ſedem Apoſtolicam, pro eo ſtabiliendo, recurrendum erit.

135. Probabile itidem eſt, filium natum ex Judæis, vel Turcis, qui poſtea baptizatur, originarium eſſe ad ordines illius Loci Catholici, in quo ſacrum Baptiſmum ſuſcepit, ut cum aliis docet D. Lamperez, *n.* 400. Baptiſmus enim, qui eſt ſpiritualis nativitas, ſubrogatur loco nativitatis naturalis. Filius autem Hæretici, qui apud Hæreticos baptizatus, hæreſique deteſtata, apud Catholicos iterum baptizatur, originarius eſt Loci ſecundi Baptiſmatis, eo enim quod ſecundò baptizatur, ſupponitur primum Baptiſmum invalidum fuiſſe, invaliduſque Baptiſmus, Baptiſmus non eſt, *cap. non ut apponeres, de Baptiſmo*: & non entis, nullæ ſunt proprietates. Sed ante Baptiſmum præferenda eſt Matris origo, ſi Catholica fuerit, in locoque Catholico Antiſtiti ſubjecto, nata, quia id conformius præſenti Conſtitutioni videtur, exemplo illegitimorum, in quibus non ad Baptiſmum, ſed ad Matris originem Auctores recurrunt.

DUBIUM VII. *An filius natus ex accidenti in aliquo loco ſit ejuſdem originarius, Patre in alio loco ejuſdem Diœceſis domicilium contrahente.*

136. PRæſentis Conſtitutionis decreto, firmatur, filium natum ex accidenti in oppido alicujus Diœceſis, ſi in ipſo

ipſo poſtea Pater domicilium contraxerit, originarium ad ordines eſſe Epiſcopi novi, ac poſterioris domicilii, quæritur, num idem intelligendum in caſu, quo Pater non in eodem oppido, ubi filius caſualiter natus fuit, ſed in alio, ejuſdem tamen Diœceſis, domicilium contraxerit.

137. Reſpondetur affirmativè; Nomine enim *Loci alieni* in præſenti clauſula, *n.* 97. exarata, intelligitur tota Diœceſis; Gloſ. *in cap. cum nullus, de temporib. ordinat. in 6. V. Parochiæ*: ergo in quocumque oppido Pater domicilium elegerit, præſens diſpoſitio militabit. Antecedens probatur, tum quia hac clauſula moderatur antecedens, *n.* 95. relata, & in qua præſens Conſtitutio expreſſe de tota loquitur Diœceſi, ait enim: *Cæterum ſubditus ratione originis is tantum ſit, ac eſſe intelligatur qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, &c.* at quando verba legis poſteriora moderantur antecedentia, neceſſe eſt, una & alia in eodem ſenſu uſurpari: ergo cùm in lege antecedenti moderata ſermo ſit de tota Diœceſi, verba poſteriora moderantia intelligenda etiam ſunt de Diœceſi tota, & non ſolum de oppido numerico, in quo ſupponitur natus caſualiter filius: Tum quia ut docet Barboſſa *Jur. univer. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 68. tota Diœceſis eſt Epiſcopi Parochia: ergo in quocumque oppido Pater, in caſu propoſito, domicilium contrahat, in eodem loco contrahet, contrahit enim in eadem Parochia.

## DUBIUM VIII. *Quo tempore Domicilium à patre in loco caſualis nativitatis filii contrahendum eſt, ut iſte originarius maneat ejuſdem Loci.*

138. Domicilium Patris ſubſecutum nativitatem caſualem filii, in eodemque nativitatis loco, originem ad ordines filio tribuere, conſtat ex verbis præſentis Conſtitutionis, *n.* 97. relatis, controvertitur tamen, an præſens diſpoſitio locum habeat, quocumque tempore Pater inibi domiciliũ contraxerit.

139. Pro cujus deciſione adnotandum eſt, I. In triplici diverſo tempore poſſe Patrem in dicto loco ſedem domicilii ſtabilire. I. Immediatè poſt nativitatem caſualem filii, II. Aliquo interiecto tempore, permanendo tamen in ipſo loco nativitatis caſua-

ſualis, ita ut poſt filii ortum in dicto loco, Pater ad alium locum habitationem non mutaverit, ſed inibi, etſi ſine domicilio, habitationem continuavit, III. Ita ut poſt filii nativitatem, ad aliam Diœceſim ſe divertit Pater, vel in ea domicilium contrahens, vel alia occupatione cùm tota ſua familia per aliquod tempus ibidem commorans, poſteaque reverſus ad locum nativitatis caſualis filii, in eo domicilium contrahit.

140. Adnotandum II. Quæſtionem non procedere in primo & ſecundo ſenſu: Undè ſi Pater, in caſu propoſito, domicilium contrahat ſive immediatè ad filii nativitatem, ſive tempore elapſo, ſine interruptione tamen habitationis in præfato caſualis nativitatis loco, certum eſt, quod domicilio, prout de Jure expoſcitur, ſub ſecuto in ipſo loco, filius erit ad ordines originarius ejuſdem Loci in quo caſualiter natus fuit. Præſens enim Conſtitutio Patrem non arctat, quod immediatè ad nativitatem caſualem filii in aliquo loco, in ipſo domicilium contrahat: ergo ſive immediatè, ſive tempore elapſo ſedem inibi domicilii figat, præſens diſpoſitio locum habet. Tota ergo difficultas, ſi quæ ſit, in tertio ſenſu procedit, ſcilicet in caſu quo nato filio in eo loco, Pater inde cum tota ſua familia diſceſſerit per aliquot annos, domicilium in alia Diœceſi contrahendo, vel ſaltem in ea habitando, poſtea tamen ad locum caſualis nativitatis filii revertatur, in eoque domicilium de jure contrahat, num hoc ſufficiat, ut dictus filius ſit originarius Loci, in quo caſualiter ortus fuit.

141. Reſpondeo ſufficere; Præſens namque Conſtitutio non expoſcit, quod Pater habitationem in eo loco continuet: ergo licèt interrumpat, locum habebit præſens diſpoſitio. Antecedens conſtat, nam verba præſentis Conſtitutionis *n. 65.* relata eodem modo loquuntur de nativitate caſuali procedente cauſa itineris Patrum, ac cauſa officii, Legationis, &c. Sed qui itineratur, in loco itineris non permanet, ſed ad alium tranſitum facit, hoc enim proprie itinerare eſt: ergo de mente Conſtitutionis non potuit eſſe, quod nato filio, Pater in loco nativitatis caſualis filii detineretur, quouſque domicilium contraheret: ergo licèt habitationem interrumpat, præſens diſpoſitio locum habebit.

142. Sed dices I. Præſenti Conſtitutione, in noſtro caſu, cavetur, quod Pater in loco caſualis nativitatis filii *tandem ac eo*

*animo*

*animo permaneat*, *&c.* ergo ſupponit, quod in eo loco Pater permanere debet: ergo permanentia interrupta, præſens diſpoſitio minimè locum habet. Reſpondetur enim, eam permanentiam refferri ad domicilium poſterius à Patre contrahendum, non autem ad tempus antecedens, ut ex ſe conſtat.

143. Dices II. Hinc ſequi, quod filius poſſet habere ad ordines duas origines ſimul, quodque præſenti diſpoſitione mordicùs refragatur. Sequela eſſet manifeſta in caſu, quo nato filio caſualiter in aliquo loco, inde ad alium Pater tranſmigraret per aliquot annos, in hoc eventu filius eſſet originarius Loci paternæ naturalis originis; demus igitur Dominum Epiſcopum paternæ dictæ originis dictum filium Clericali tonſura initiaſſe; poſtmodum autem Pater in loco ortus caſualis filii domicilium contrahat, en filium jam originarium Loci domicilii paterni: ergo haberet duas origines ſimul: ergo ut hoc vitetur, dicendum, quod ut filius originem in loco ſuæ caſualis nativitatis acquirat, non debet Pater alibi tranſmigrare.

144. Sed reſpondetur, quod argumentum æque præmit ſive Pater continuet habitationem in loco caſualis ortus filii, ſive interrumpat, ut per ſeeſt manifeſtum: ergo perperam ex eo ad noſtrum intentum arguitur. Reſpondetur II. negando antecedens, nec caſu, quo probatur, convincitur: dicimus namque, quod domicilio non contracto à Patre in loco nativitatis caſualis filii, iſte eſt originarius Loci paternæ naturalis originis: at coutracto domicilio in dicto loco ortus filii, efficitur originarius novi domicilii paterni, ceſſatque à primo origine, ſicque non habet duas origines ſimul.

145. Sed inſtabis: Semel domicilio à Patre contracto in loco caſualis nativitatis filii, hic ita permanet originarius Loci ſuæ nativitatis ut licèt Pater poſtea domicilium ad aliam Diœceſim mutet, non ideo filius deſinat eſſe originarius Loci ſui fortuiti ortus: ergo pariformiter, ſemel quod filius ſit originarius, in caſu argumenti, Loci paternæ originis, licèt poſtea Pater domicilium contrahat in loco caſualis ortus filii, non ideo filius amittet primam originem, ſed ita acquiret ſecundam, ut primam non amittat: ergo habebit duas origines ſimul.

146. Antecedens difficultatem tangit, dubio ſequenti exa-

minandam, eo tamen promiſſo, negatur conſequentia. Diſparitas in eo ſtat, quod præſens Conſtitutio dum filio caſualiter nato paternam originem pro origine ad ordines aſſignat, non abſolutè, ſed cum addito ſcilicèt, niſi Pater in eodem loco caſualis ortus filii pro tempore domicilium contraxerit, undè purificata conditione, ceſſat in filio prima origo: Cæterum, cùm eadem Conſtitutio filio caſualiter nato aſſignat pro origine locum ſui fortuiti ortus, caſu quo in eodem Pater domicilium contrahat, hoc aſſignat abſolutè, & ſine ulla moderatione, ſicque ſemel à Patre inibi domicilio contracto, origo filii perſeverat, & ſi Pater plura mutet domicilia.

DUBIUM IX. *Utrum Semel à Patre domicilio in loco caſualis nativitatis filii contracto, ſi Pater mutet domicilium, filius originem ejus Loci amittat.*

147. CUM præſens Conſtitutio ſtabiliat, quod ſi Pater in loco caſualis ortus filii domicilium contrahat, filius ad ordines originarius ſit ejuſdẽ Loci ſui ortus caſualis, nonque Loci paternæ naturalis originis, ut antea præmiſerat, dubitatur, an hæc diſpoſitio conſiſtat, eſtò Pater inde domicilium ad aliam Diœceſim mutaverit, ita ut domicilio à Patre mutato, filius non ſit originarius jam Loci ſui caſualis ortus, ubi Pater fixerat domicilium, ſed ad paternam reddat originem, hujuſque originarius ſit.

148. Reſpondeo, filium permanere, originarium dicti Loci ſui caſualis ortus, eſto Pater inde ad aliam Diœceſim domicilium mutaverit. Ratio eſt, quia quod ſub conditione expoſcitur, ſemel conditione purificata, factum ſub illa ſubſiſtit, licèt poſtea conditio deſierit, *leg. ſi quis hæredem. C. de inſt. & ſubſt.* Quare ſi Maria inſtituta hæres fuit, ea conditione, quod Petro nubat, eaque Petro Matrimonium offerat. hicque recuſaverit, intuituque ſuæ reſiſtentiæ Mariæ hæreditas tribuatur, hæreditate Maria ſpolianda non eſt, licèt poſtea Petrus cum Maria contrahere vellit, hæc autem recuſſet, nam ſufficit ſemel conditionem extitiſſe, licèt poſtea deſierit. Baldus, *leg.* 1. *Cod. de inſt. & ſubſt.* Tiraquel. *leg. ſi unquam V. ſuſceperit filios num.* 151. *Cod. de*

*revo-*

*revocat. donat.* Molina *lib.* 1. *de Primog. cap.* 6. *num.* 17. M. Baſilius *de Matrim. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 10.

149. Ratio hujus eſt, *quod ſermo ſimpliciter prolatus, intelligitur de prima vice. Leg. Bobes. §. hoc ſermone, ff. de verb. ſignificat.* firmatque Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *diſp.* 33. *n.* 14. dummodo conditio negativa non fuerit, vel ea poſita jus ille adquiſierit in cujus favore, vel gravamine, poſita fuit; quia nemini variare licèt, Jure jam alteri comparato. Gloſ. *cap. noſti. de electione. V. revocare.* Sanchez *num.* 15. cumque in noſtro caſu conditio ſub qua filio locus ſuæ caſualis nativitatis pro origine conceditur, negativa non ſit, ut per ſe patet, & alias ſemel à Patre domicilio contracto in dicto loco, filius jus acquiſierit, ut ab ejus Epiſcopo promoveri poſſit, hinc eſt, quod licèt Pater poſtea domicilium mutaverit, ejuſdem Loci manebit filius originarius.

150. Firmatur amplius, quia domicilium, quod in noſtro caſu eligit Pater, ipſi domicilium habitationis, ut Auctores vocitant, eſt; filio tamen domicilium eſt originis, quodque ex natura ſua invariabile eſt, ut cum communi docet Barboſſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 4. *n.* 20. & licèt in Præſenti Conſtitutione varietur, eſt caſus ſingularis, & extra regularem curſum, ideoque minimè extendendum ultra Legis caſus expreſſos, favetque, *cap. quæ à jure, de regul. Jur. in* 6. At ſi doctrina contraria vera foret, domicilium originis dicti filii in noſtro caſu, ad nutum Patris variabile eſſet; poſſet enim Pater poſtquam domicilium in loco caſualis nativitatis filii domicilium contraxit, inde ad aliam Diœceſim domicilium mutare, iterumque in priſtino loco domicilium contrahere, ſicque originem filii variare, quod aliquando in fraudem factum, timeri poſſet.

151. Objicit D. Lamperez, *n.* 411. In dicto caſu origo conceditur filio ſub conditione, quod Pater domicilium contrahat in loco caſualis ortus filii: ergo deficiente domicilio Patris in ipſo loco, nequit filius ejuſdem Loci originarius eſſe: Quæ enim ex duobus componuntur, deficiente altero, totum deficit, ſic deficiente materia, totum compoſitum deficit: Cùm ergo origo filii in noſtro caſu ex naturali ac caſuali ortu filii in aliquo loco, & ex paterno domicilio, ſubſecuto, componatur,

iſto ſolummodo deficiente in Patre,totus titulus originis in filio deficiet: corroborarique valet *ex cap. cum ſit proprium, de condit. appoſitis*, ubi ſervo cui libertas in dicta fuit,ſub conditione, quod Monaſterium ingrederetur, ingreſſuſque fuiſſet, jubetur tamen ad priſtinam reddere ſervitutem, eo quod licèt in Monaſterium ingreſſus fuerit ſemel, tamen in ipſo non perſeveravit: ergo ſimiliter licèt Pater, in noſtro caſu, ſemel domicilium elegerit in loco nativitatis caſualis filii, ſi tamen ibi domicilium non continuat, filius reddet ad priſtinam originem.

152. Reſpondetur tamen negando conſequentiam, ad ejuſque probationem dicimus, quod origo filii in dicto caſu componitur ex caſuali ortu filii, ac Patris domicilio acquiſito, non autem conſervato, nec præſens Conſtitutio amplius deſiderat, niſi quod Pater in dicto loco domicilium contrahat, quodque ſemper verificatur, licèt poſtea domicilium mutet; ſemel enim quod Pater domicilium inibi contraxit, verum eſt quod origo filii componitur ex Patris domicilio, nam in origine filii moraliter perſeverat.

153. Ad confirmationem ſumptam,*ex cap.cum ſit proprium*, negatur ſimiliter conſequentia; nam ſervo libertas indicta fuit ſub conditione, quod Monaſterium ingrederetur, & quod in illo per totam vitam continuaret, inde nihil mirum, ſi non continuavit, quod ad priſtinam reddere ſervitutem juberetur: Cæterum in præſenti Conſtitutione ſolummodo indicitur, quod Pater in dicto loco domicilium contrahat, unde ſemel contracto, legem explet, nam ſermo ſimpliciter prolatus, intelligitur de prima vice. Quo fundamento motus P. Givalinus *de Irregul. cap. 6.* probabile cenſet, quod illegitimus, qui in Societate primam Profeſſionem emiſit, à Societateque ante promotionem ad Sacros ordines fuit expulſus, diſpenſatiſque à RR. Generali votis, manet abſque irregularitate, nec expulſus, reviviſcit irregularitas orta ex deffectu natalium, quæ dicta Profeſſione fuit avulſa: Aufertur enim irregularitas intuitu Profeſſionis, quam ſemel poſſuit, nihilque amplius requiritur.

154. Oportet tamen adnotare, quod domicilium in præſenti caſu à Patre contrahendum in loco ubi ejus filius caſualiter natus eſt, debet eſſe quale Jure communi expoſcitur, nec

eget

eget inibi domicilium contrahere juxta diſpoſitionem præſentis Conſtitutionis infra referendam, niſi in caſu quo ipſe Pater titulo domicili in eo loco promoveri voluerit quodque ex dictis, ac dicendis ſatis apparebit. Quid autem requiratur, ut domicilium de Jure communi contrahatur videatur Diana, *part.* 8. *tract.* 2. *reſol.* 15. cum aliis.

DUBIUM X. *De origine filii nati tempore, quo Pater eſt in animo, in alia Diœceſi domicilium contrahere.*

155. CAſus claritatis gratia ſic proponitur. Naſcitur Titio filius in Diœceſi Oſcenſi, tempore quo à dicta Diœceſi ad aliam domicilium transferre parat, ita ut non modo tenus verbis animum hujus mutationis explicaverit, verum etiam majorem partem ſuorum ſuppellectilium ad locum ubi transferre domicilium decrevit, remiſit, & cum jam ad arripiendum iter ſe accingit ad locum futuri domicilii, in oppido à quo mutatur filius ei naſcitur, vel in ipſo itinere, quæritur, cujus Diœceſis hic filius erit originarius ad ordines: Oſcenſis Diœceſis videtur quod non; Pater enim ſatis animum explicuit, ſe inibi morari minimè velle, & ſine animo perpetuò in aliquo loco morandi, domicilium non intelligitur, ut communiter docent DD. Nec item Loci futuri domicilii originarius eſſe poteſt, nondum enim in eo Pater domicilium contraxit, cum in eo hactenus non habitaverit: cujus ergo erit originarius.

156. Reſpondetur eſſe ad ordines originarium Loci in quo naturaliter ortus eſt, & à quo Pater domicilium mutat; quia licèt Pater animum mutaverit, & majorem partem ſuppellectilium alibi remiſſerit, non ideo domicilium in ipſo loco deperdit; ſed ſic eſt quod quando filius naſcitur in loco ubi Pater domicilium habet, originarius eſt ad ordines Loci domicilii paterni: ergo & in noſtro caſu, & ita docet Diana, *part.* 4. *tract. Miſcellan. reſolut.* 148. Major conſtat, nam ut docent communiter Doctotes, ſicut domicilium non acquiritur ſolo animo perpetuò habitandi in aliquo loco, nec ſola habitatione, ſed ambo requiruntur, ſic ut domicilium contractum deperdatur, non ſufficit animi mutatio, ſed requiritur quod ſimul habitet in

loco

loco ubi de novo domicilium parat, & ita tenet Andreas à S. Joſeph. *Criſol. Theologi. V. Domicilio*, *n.* 578. Cùm ergo in noſtro caſu Titius à loco ſui domicilii antiqui non ſit mutatus, vel ſaltem in loco novi domicilii hactenus non habitaverit, cum domicilio permanet in loco, à quo tranſitum parat: contrarium tamen docet Panormitanus, *in cap. Rodulphus, de Reſcriptis, n.* 9. Ad rationem dubitandi, dicimus, animum perpetuò habitandi eſſe neceſſarium, ut quis de novo domicilium contrahat in aliquo loco, non autem ut contractum conſervet, quod ex dictis ſatis conſtat.

## DUBIUM XI. *De origine illegitimorum.*

157. DUpliciter horum nativitatis contingere valet, vel enim ipſorum ortus in loco domicilii parentum accidere poteſt, vel extra, ita ut parentes nullibi domicilium habeant, vel ſi habeant, diverſum ſit, Patris ſcilicèt in una Dioeceſi, Matris in alia; Item Pater poteſt eſſe notus, aut ignotus: in his ergo, & ſimilibus eventibus quæritur, quis ſit prædictorum illegitimorum locus originis, ut promoveri valeant.

158. Pro quo adnotandum. In præſenti Conſtitutione, *n.* 95. relata, duplicem diſpoſitionem legi, aliam pro nativitate filii propria, aliam pro fortuita, ac caſuali, diverſamque originem ad ordines pro diverſitate nativitatis aſſignari: Item, ut ex verbis, *n.* 97. præfixis, conſtat, præſenti Conſtitutione ſtatuitur, quod ſi Pater in loco, ubi filius ex accidenti natus eſt, domicilium contraxerit filius originarius ſit Loci novi domicilii paterni. Difficultas ergo eſt, an omnes iſtæ diſpoſitiones comprehendant, in ſuo reſpectivè caſu, illegitimos filios.

159. Reſolutio hujus difficultatis ab alia pendet, ſcilicèt, an quando leges aliquid circa filios diſponunt, nomine filiorum intelligantur illegitimi, de qua Barboſſa *de appellat. verb. appellat.* 99. *n.* 35. *&* 36. Ubi in affirmativam inclinat, quando ratio legis certà eſt, & omnibus filiis æqualiter convenit: Unde in præſenti triplex erit quæſtio. I. An quando illegitimus oritur in loco, ubi parentes habent domicilium, originarius ſit ejuſdem Loci, II. An deficiente in Parentibus domicilio, illegitimus ſequa-

quatur originem paternam, an maternam. III. An ſi Pater, Materve illegitimi domicilium contrahant in loco, ubi dictus filius natus eſt, ratione iſtius domicilii ſit originarius Loci novi domicilii parentum.

160. Reſpondetur I. Quod illegitimus natus in loco ubi ejus parentes habent domicilium, eſtò de Patre certò conſtet, eſſe originarium Loci domicilii materni. Ita Joannes Præpoſitus, apud Dianam, *p.* 8. *tract.* 2. *reſolut.* 18. Cujus ſententia etiam in terminis præſentis Conſtitutionis tenenda videtur; quia Leges, quæ cum filiis loquuntur, non comprehendunt illegitimos, quando earum ratio æqualiter non convenit legitimis, & illegitimis; at ſic eſt in præſenti; nam in legitimis, eorum parentes idem habent domicilium Viri, uxoris eſt domicilium, cum pro eadem perſona reputentur, propter unionem Matrimonii: Non ſic in fornicariis, quilibet enim eorum habere poſſet diverſum domicilium, & in diverſa Diœceſi, ex quo fieret, quod ſi illegitimus domicilium utriuſque parentis ſequeretur, duplicem baberet originem ad ordines, contra præſentem Conſtitutionem, quæ duplicem originem non conſentit: Ergo dicendum, quod illegitimus domicilium maternum dumtaxat pro origine ſequetur.

161. Hæc conſequentia probatur, nam major conſtat ex doctrina Barboſſæ citati, *n.* 159. Tum quia à Matre certius procedit, ut docet Diana citatus, tum quia filii in ſervitutis, vel libertatis conditione, ex legum diſpoſitione, Matrem ſequuntur: ergo & in origine ad ordines domicilium Matris ſequentur, cum eadem ſit ratio. Tum quia ſi tempore quo illegitimus naſcitur, ejus Pater haberet domicilium, non autem Mater, vel è contra, eſſet originarius jam Loci paterni domicilii, jam materni, & nihil fixum eſſet: ergo ut hæc incommoda vitentur, dicendum, quod illegitimi domicilium Matris ſequuntur, non vero Patris, etiam ſi de Patre certò conſtet, quia hoc eſt diſpoſitioni Juris Civilis conformius.

162. Unde ſi Mater, tempore quo illegitimus naſcitur, nullibi domicilium habeat, cenſetur natus ex accidenti, etiam ſi de Patre certò conſtet, habeatque domicilium, quia ex dictis conditionem Matris ſequitur. Similiter, ſi Mater illegitimi domicilium

cilium

cilium in aliqua Diœceſi habens, extra illam in lucem dederit, originarius erit ad ordines Loci materni domicilii, ex dictis *n.* 108. de Legitimo filio nato extra Diœceſim paterni domicilii, quæ doctrina etiam in præſenti caſu militat.

163. Reſpondeo II. Illegitimum natum ex accidenti; eo quod Mater nullibi habet domicilium, originarium ad ordines eſſe Loci naturalis maternæ originis, etiam ſi de Patre certò conſtet, quia Jus Civile, *leg.* 1. *in fin. ff. ad municip. & leg. ejus qui ff. eodem*, illegitimos ſolius matris filios agnoſcit, eo quod ab iſta certius procedant: ergo conditionem ſolius matris ſequentur. Nec obſtat, quod preſens Conſtitutio pro origine filii caſualiter nati, locum naturalis paternæ originis aſſignat; nam ly *Patris*. Latè ſumitur, & comprehendit Matrem in caſibus quibus ſecundum Jus ad Patrem nequit recurri, ut docet D. Lamperez *n.*403. Licèt ibidem doceat, quod ſi de Patre illigitimi certò conſtet, ad Patris, & non Matris originem recurrendum ſit. Sed noſtram reſponſionem tuentur, Barboſſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 4. *n.* 15. Diana citat. *reſol.* 12. Trullench. *tom.* 3. *lib.* 4. *cap. unico, dub.* 6. *n.* 7. Pax Jordanus, *elucubrat. volu.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6, *n.* 44. & 45. ibi: *In filiis naturalibus, & vulgo quæſitis, ſeu illegitimis conſideratur origo materna, & non paterna.* & alii ab iſtis citati.

164. Ad tertium dubium ſupra *n.* 159. propoſitum, an ſcilicèt ſi mater domicilium de Jure contrahat in loco ubi illegitimus natus eſt, amittat iſte originem Loci maternæ originis, fiatque originarius Loci novi materni, domicilii, negativè reſpondendum cenſeo, ex dictis ſupra *n.* 124. cujus doctrina potiori Jure præſenti caſui coaptatur.

## DUBIUM XII. *De origine expoſitorum, ac derelictorum.*

165. EXpoſiti illi vocantur filii, quorum Patres ignorantur; nam vix ut nati ſunt Hoſpitali ipſis deſtinato, aut domo alicujus divitis conſignantur: quique jam legitimi ſunt, & regulariter non modo parentes verum, & locum nativitatis ipſorum ignoratur. De his ergo in præſenti quæritur, quis ſit locus originis, ut hoc titulo ad ordines promoveri valeant.

166. Reſpondetur originarios eſſe Loci in quo expoſiti fuerunt,

runt; nam eo quod Patres, locuſque eorum ignoretur, cives ſunt Loci in quo expoſiti fuerunt, & ita tenent Barboſſa ſupra *n.* 37. Campanil. apud Trullench. cit. *n.* 12. ibi: *Expoſiti ordinari poſſunt ab Epiſcopo, qui eſt Ordinarius Loci, in quo expoſiti ſunt; nam eò quod parentes ignorentur, ſine dubio illius Loci effecti ſunt cives.* Cum enim in obſcuris minimum ſit ſequendum, *Cap. in obſcuris. de regulis jur. in 6.* & locus, parenteſque expoſitorum adeò obſcuri ſint, locus ubi expoſiti fuerunt gerit vices *Patriæ, & Patris*, nam ibi cenſentur nati: conſonatque D. Lamperez *n.* 404.

167. Sed quia pluribus in Locis dicti infantes exponi valent, experientia teſte inquirendum eſt, quiſnam eorum determinatè originis ad ordines tribuat titulum, ne plures origines admittere compellamur, contra præſentis Conſtitutionis ædictum. V. G. exponitur Titius primo in loco Diœceſi Turiaſonenſis V. G. ibique baptizatur, ſecum enim adfert papyrum monentem, lavacro Baptiſmi non eſſe ablutum, deinde de loco in locum ad Hoſpitalem Cæſarauguſtanum, locum in expoſitorum educationem deſtinatum, conducitur. Quæritur cujus Loci dictus Titius originarius ſit, an illius ubi primo expoſitus fuit, an ejus in quo ad ſuam educationem permanet.

168. Reſpondetur eſſe ad ordines otiginarium Loci Hoſpitalis, vel domus divitis ubi ut alatur, ac educetur, permanet, non verò Loci, ubi primo fuit expoſitus, baptizatuſque, quia in iſto quaſi accidentaliter fuit expoſitus: ſicut enim in præſenti Conſtitutione duplex diſtinguitur ortus, alius accidentalis, & quando parentes tranſitum faciunt, contingens, alius naturalis, cum ſcilicet in eodem ortus loco domicilio parentes detinentur; ex quibuſque ortibus non accidentalis, ſed alius originem ad ordines filio tribuit: ſic in expoſitis duplex exponendi modus diſtinguendus eſt, alter ut permaneat in loco ubi exponitur, alius ut inde tranſitum faciat; & ſicut cum naſcitur filius in loco, occaſione tranſitus Patris in terminis præſentis Conſtitutionis eſt nativitas accidentalis, quæ originem ad ordines non tribuit, ſic cum filius exponitur in loco, non ut ibi permaneat, ſed ut inde tranſitum faciat, exponetur inibi accidentaliter, nec ſufficiet ut ejus Loci originarius expoſitus cenſeatur: expoſitio enim gerit vices nativitatis in expoſitis, ut

communiter docent Doctores: ergo ſicut nativitas filii in tranſitu parenrum accidentalis eſt, originemque non tribuit, ita exponere expoſitum in loco, ut indè tranſeat, erit expoſitio accidentalis, nec originem ad ordines tribuet, conſonat D. Villar, *Patron. de Calatayud, p. 9. coſtumb. 4. n. 13.* ibi: *Los niños que ponen à las puertas, y en los Hoſpitales, cuyos padres, y madres ſe ignoran, ſon parroquianos, y vezinos de aquel Lugar, y Parroquia, donde fueron expueſtos, y criados.* Citatque *Bartul. leg. ad municip.* Petrum de Revena, ac Boherium *deciſ.* 13. *n.* 41. ubi notanda ſunt verba noviſſima, *expueſtos, y criados*, quæ indicant, quod ut expoſitus ſit cives alicujus Loci, non ſufficit ipſum in loco exponere, ſed quod ibi educetur, quodque permanentiam in eodem loco convincit: ſic ergo in noſtro caſu dicendum.

169. Hacque doctrina deciditur ſingularis caſus à Patre Gobat *tract. 8. de ordine, V. Epiſcopus n.* 285. propoſitus, de expoſito in loco ad plures Epiſcopos pertinente, ut ſi exponeretur in columna, quæ in Regno Valentiæ extat, quæ ad quatuor Dominos Epiſcopos pertinet, ita ut enim columna dicta quatuor habeat frontes, quælibet diverſæ Diœceſis eſt: dicimus ergo expoſitum in cuſpide dictæ columnæ originarium ad ordines eſſe illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſtabiliter ad ſuam educationem permanet, eſto de illis quatuor memoratis non ſit; quia expoſitio in dicta columna cenſetur accidentalis, quæ ex dictis originem expoſito non tribuit.

170. Hactenus dicta intelligenda, veniunt caſu quo de Patribus, aut loco expoſiti minime conſtet, aliter dicendum, ſi de ipſis conſtet temporis curſu: Unde ſi de Patribus, locoque expoſiti conſtet, iſque legitimus fuerit, erit originarius Loci in quo naturaliter ortus fuit, modo inibi ex accidenti non ſit natus; in hoc enim caſu origo naturalis Patris origo filii erit, ex ſæpe dictis. Ratio eſt, quia ex quo de Patribus, & Patria expoſiti conſtat, deſinit expoſitus eſſe, ſaltem quo ad effectum tituli originis ad ordines.

171. Si tamen Loci, in quo expoſitus ortus eſt, minimè verò de Patribus, conſtet, verius judico originarium eſſe Loci in quo expoſitus fuit, non vero Loci in quo natus, immo baptizatus fuit, nam ignorantia ea parentum magnam inducit præſum-

ptio-

ptionem, ibi natum ex accidenti, cum impoſſibile moraliter appareat Patres ignorari, ſi in eo loco domicilium contraxerunt, quodque neceſſarium erat, ut nativitas dicti filii in ipſo loco caſualis non eſſet: ergo ex ipſa parentum ignorantia infertur præſumptio, quod inibi dictus filius natus ſit ex accidenti, quæ nativitas orignem ad ordines non tribuit.. Recurrendum ergo ad locũ ubi expoſitus permanenter fuit, quia alius proprior non eſt.

172. Si vero expoſitus illegitimus fuerit, conſtetque de Matre, originarius ad ordines erit vel Loci materni domicilii, vel originis naturalis maternæ, juxta dicta ſupra dubio antecedenti: ſi autem de Matre non conſtat, originarius erit Loci, ubi permanenter fuit expoſitus; gerit enim hic locus vices Patriæ, & parentum. Sed adnotandum eſt, quod ſemel admiſſo expoſito in Hoſpitali, vel alia domo, animo ibi ipſum permanenter alendi, ac educandi, licèt poſtea ad aliam Diœceſim transferatur, permanet ſemper originarius Loci ubi primò animo ipſum retinendi inibi fuit expoſitus, quia ibi contraxit domicilium originis, quod ex natura ſua invariabile eſt.

173. E contra vero, ſi dives, pietate motus, expoſitum in ſua domo, vel alibi, alere, & educare decreverit, animo perpetuò, vel ſaltem quouſque ipſi ſtatum dederit, ſecum, vel alibi, ſuis ſumptibus tamen, retinere, poſteaque ipſe dives ad locum ubi dictus filius primo expoſitus fuit, domicilium mutaverit, nõ videtur improbabile in iſto caſu, eſſe originarium ad ordines Loci, ubi primò expoſitus fuit; nam prædictus dives gerit vices parentis cùm expoſito; at quando Pater domicilium contrahit in loco, ubi ejus filius ex accidenti natus fuit, filius ex accidenti natus originarius, ad ordines eſt ipſius Loci ſui caſualis ortus, ut ex præſenti conſtat Conſtitutione: ergo cùm ex una parte, in loco ubi primo expoſitus fuit, cenſeatur inibi quaſi ex accidenti natus ipſe expoſitus, & ex alia dictus dives vices gerat parentis, idem erit dicendum ac de Patre naturali domicilium contrahente in loco ortus caſualis ſui filii, dicitur. Sed hoc alii videant.

174. Circa Derelictos, qui illi dicuntur, quorum parentes, cum illi parvuli eſſent, vel peregrinando, vel in militia mortui fuerunt, ipſique filii nomen parentum, Patriamque ſuam ignorant, hii inquam originarii ſunt Loci ubi primo domicilium con-

 trahunt,

trahunt, ut tenet D. Lamperez, *n.* 404. Quod verum eſt, eſto poſtea ad aliam Diœceſim domicilium transferant, quia iſtud domicilium eſt originis, quod ex natura ſua invariabile eſt. Nec requiritur quod domicilium contrahat cùm omnibus illis circunſtantiis præfixis in præſenti Conſtitutione infra referendis; ſed ſufficit in noſtro caſu domicilium de Jure communi contrahere; quia hoc domicilium eſt, ut orginarius in eo loco fiat, tituloque, originis, & non domicilii ad ordines promoveatur; præſens autem Conſtitutio, dum alias circunſtantias expoſcit, expoſcit ſolùm quando aliquis titulo. domicilii promovendus eſt: ergo non eget domicilium contrahere cum circunſtantii præſentis Conſtitutionis, ſi vero nullibi domicilium elegerint, ad Apoſtolicam Sedem recurrant.

## DUBIUM XIII. *De Libertorum origine, & Libertinorum.*

175. Libertus dicitur, qui cum fuerit ſervus, manumittitur. Libertini dicuntur, qui exliberis procreati ſunt, hoc eſt, ipſi quidem numquam ſervierunt, ſed eorum parentes, antequam ipſi naſcerentur, è ſervitute manumiſſi ſunt, & de his quæritur, quis poſſit titulo originis ipſos ad ordines promovere. Suppono I. Servos in ſtatu ſervitutis ad ordines promoveri minimè poſſe, *cap. ut filii de filii Presbyt. ordin. vel non, cap. de ſervorum, cap. de famulis, de ſervis non ordinandis*. Suppono II. Prædictos libertos naſci potuiſſe in Africa, aliove loco, ubi Epiſcopi non extant, vel ſi extant, Titulares ſunt, quique ad ordines promovere non valent, ex Trident. *Seſſione* 14. *cap.* 2. *de reformat.* oriri itidem potuerunt in Locis Catholicorum, ſed ex accidenti, occaſione itineris ſcilicèt, vel etiam oriri potuerunt, dum eorum parentes Dominis, quorum ſervi ſunt, inſervirent.

176. Reſpondetur, in his, & ſimilibus caſibus Libertus originarius eſt Loci, ubi Patronus veram, & naturalem habeat originem, non autem, ubi ipſe Patronus domicilium habet. Ita cum aliis Trullench, *n.* 12. ibi: *Libertus, quando pot eſt promoveri, ordinandus eſt ab Epiſcopo Loci, à quo Patronus trahit originem, quia illius Loci eſt Libertus municeps, & non ab Epiſcopo ubi Patronus habet domicilium*. Ratio eſt, quia cum Liberti parentes nullibi domici-

micilium, ut pote ſervi, acquirant, filii cenſentur ex accidenti nati; & cum alias naturalis origo parentum nequeat ſuffragari, ſupponitur enim inibi Epiſcopo carere, recurrendum eſt ad originem naturalem Patroni, quæ invariabilis eſt, quaque ratione ad domicilium minimè recurrendum, hoc enim cum variabile ſit, jam unius, jam alterius Diœceſis Libertus originarius eſſet, quod maximum eſſet inconveniens. Nec Libertus originarius erit Loci ubi Pater Patroni natus eſt, quia non eſt naturalis & vera Patroni origo; ſed per Juris fictionem: ergo ſicut in Patre hæc excluditur præſenti Conſtitutione pro origine filii ad ordines, ita & in Patrono.

De libertinis autem dicitur, quod ſi eorum parentes tempore illorum ortus domicilium in aliquo loco contraxerunt, originarii ad ordines erunt Loci paterni domicilii, ſin autem tempore ortus Libertinorum domicilio parentes carebant, originarii erunt veræ & naturalis originis Patroni parentum, ſicut de Libertis manet dictum, & ita tenet Pax Jordanus, *volum.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 43. Propria vero origo accidentalis libertorum, ac libertinorum numquam attendenda eſt, quidquid in contrarium dicat ipſe Jordanus citatus.

177. Quæ omnia diſpoſitioni præſentis Conſtitutionis conformant. In ea enim diſponitur, quod quando filius naſcitur ex accidenti aliquo in loco, origo ejus ad ordines ſit naturalis Patris origo, & non alia, cumque ortus Liberti, & Libertini, in caſu quo ejus Pater nullibi domicilium contraxerit, cenſeatur ex accidenti, Patronuſque, ſit velut ejus Pater, neque, origo naturalis Liberti, ac Libertini, ejuſque naturalis Patris pro origine ad ordines ſuffragari valeat, conſideranda eſt naturalis origo Patroni, qui Patris vices reſpectu Liberti gerit, ac Libertini.

178. Excipiendus videtur à prædicta doctrina caſus, in quo Liberti Pater Catholicus foret, natuſque in loco Catholicorum, ubi Epiſcopus extat propriùs cum ſubditis; quia in hoc caſu probabile videtur dictum Libertum originarium ad ordines fore Loci paternæ naturalis nativitatis, eo quod in præſenti Conſtitutione verbis ſupra *n.* 95. relatis, ſic expreſſe diſponitur. Nec obſtat, quod juxta leges Civiles filius ſervus non fit municeps Loci paternæ naturalis originis: Reſpondetur enim non fieri quo ad

alios

alios effectus, ſecus vero quod ad ordinum effectus; Lege enim præſentis Conſtitutionis, qua decernitur, filium ex accidenti natum, originarium ad ordines eſſe Loci paternæ naturalis originis, dici etiam poteſt, quod, quoad hunc effectum, municeps, etiam filius ſervus, ipſius Loci decernitur effectus. Similiter ſi pro tempore Pater ſervus manumittatur, in locoque, ubi filius ejus ex accidenti natus eſt domicilium de Jure contrahat, originarius erit Loci novi paterni domicilii, ex diſpoſitione præſentis Conſtitutionis ſupra *n.* 97. relata, quæ cum generalis ſit, omnes comprehendit.

DUBIUM XIV. *De origine ſubditorum nullius Diœceſis.*

179. SUbditi nullius Diœceſis dicuntur, qui morantur in territorio, cujus Prælatus Epiſcopus non eſt, verùm ſubjectionem alicui Epiſcopo minimè recognoſcit, immo ipſe Prælatus omni juriſdictione Epiſcopali, vel quaſi, gaudet in memorato ſuo territorio: ex quibus alii gaudent tota Epiſcopali juriſdictione; poſſunt enim viſitare ſuos ſubditos, ac gubernare, Synodum congregare, Examinatores ad providendos Curatus ſui territorii nuncupare, ſuis ſubditis, ut ad ordines promoveantur, Dimiſſorias concedere, & alia quæ juriſdictioni Dominorum Epiſcoporum competunt. Alii tamen juriſdictione ita extenſa minimè gaudent, neque enim valent Synodum congregare, Curatus providere, Examinatores aſſignare, neque Dimiſſorias ad ordines ſuis ſubditis concedere; hæc enim omnia Epiſcopis Eccleſiarum dictorum nullius Diœceſis vicinioribus competunt, ex declaratione Sacræ Congregat. 24. *Januarii* 1595. Ut refert Barboſſa *Jur. univer. lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 91. De utriſque ergo in præſenti eſt ſermo.

180. Reſpondetur I. Subditos nullius Diœceſis, quorum Prælati Ordinarii ſui Territorii ſunt, gaudentque omni juriſdictione quaſi Epiſcopali, qualiter in Hiſpania gaudere dicuntur Abbas vulgo; *de Alcalà la Real*, *Covarruvias*, & alii, de quibus P. Oviedo *in praxi Regular. p.* 2. *cap. unic. quæſt.* 2. *n.* 72. & inſuper eorum territoria ſeparata ſint, id eſt, non incluſa in aliqua Diœceſi, originarios eſſe ad ordines dictorum Prælatorum, mo-

do

do in ipſorum territoriis nati non fuerint fortuitò, memoratiſque Prælatis competere litteras Dimiſſorias ad ordines concedere. Ita cum multis Trullench, *tom.* 3. *lib.* 6. *dub.* 8. *n.* 3. Ubi reſpondet ad doctrinam Tridentini, *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *de reformat.* quod in contrarium ſtare videtur, aitque Tridentinum minimè intelligendum de Prælatis nullius Diœceſis, quando iſti juriſdictione gaudent quaſi Epiſcopali, eorum territoria omnino ſeparata ſunt, nec in aliqua Diœceſi incluſa.

181. Ex quo, cum in præſenti Conſtitutione, variis in Locis, promovendis jubetur litteras Teſtimoniales à ſuis Ordinariis obtinere, Epiſcopoque ordinanti præſentare, ſubditi nullius Diœceſis, ab hujuſmodi Prælatis obtinere tenentur reſpectivè; ſunt etenim vere Ordinarii: Unde quantum in hac parte dicitur de Dominis Epiſcopis reſpectu ſuorum ſubditorum, in ordineque ad poteſtatem juriſdictionis, reſpectivè etiam dicendum de Prælatis nullius Diœceſis, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus, ut docent Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 5. *n.* 7. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 2. *n.* 13. Barboſſa *cit. cap.* 17. *n.* 94.

182. Sed dices, territorium nullius Diœceſis, quantumcumque ſeparatum à Diœceſi Epiſcopi, nec in iſta ullo modo incluſum ſit, naturam Diœceſis non participat; at præſenti Conſtitutione firmatur, quod ſubditus originis ad ordines *ille tantum ſit, ac eſſe cenſeatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad ordines promoveri deſiderat*: ergo cum ſubditi nullius Diœceſis in Diœceſi nati non fuerint, nec ejuſdem originarii erunt, conſequenterque eorum Prælati ad ordines Dimiſſorias concedere non valebunt. Major conſtat, nam ut docet Barboſſa cit. *cap.* 20. *n.* 3. inferturque *ex Clement. unica, de ſupplemenda negligentia Prælat. & ex cap. cum pro utilitate*, 16. *quæſt.* 1. Diœceſis eſt Civitas, ac territorium ubi Epiſcopus, juriſdictionem in ſpirituali habet, vel ubi Epiſcopus ejuſque Epiſcopatus extant; at nihil horũ habent territoria nullius Diœceſis, ergo nec Diœceſis erunt.

183. Reſpondeo tamen prædicta non obſtare, quo minus nati in territorio nullius Diœceſis, ejuſdem originarii ſint ad ordines, eorumque Prælati concedere Dimiſſorias valeant: nam quando præſens Conſtitutio originem natis tantùm in Diœceſi

aſſi-

aſſignat, eò tendit, ut excludat natos in alia Diœceſi, non vero ut excludat in territorio nullius Diœceſis natos. Ratio eſt, nam principalis ſcopus præſentis Conſtitutionis eò tendit, quod Prælati ad Clericalem tonſuram, ulterioreſque ordines ſubditos alienos ſæculares non promoveant titulo originis perperàm intellecto; cumque Prælati nullius Diœceſis ſubditos ſuos ſæculares ad ordines promovere nequeant, ex decreto Tridentini, citata *ſeſſio*. 23. *cap*. 10. hinc eſt quod præſenti Conſtitutione non opus erat ipſa territoria excludere, excluſa enim Tridentini decreto erant: quare in verbis præſentis Conſtitutionis, *n*.95. relatis, ibi: *Qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi*, per ly *Diœceſi*, excluduntur nati in alia Diœceſi, non vero nati, in territorio nullius Diœceſis, ſicque in hoc nati, originarii erunt ejuſdem, & ab ejus Prælato Dimiſſoriæ ad ordines concedi poterunt.

184. Reſpectu vero Prælatorum nullius Diœceſis, qui juriſdictione quaſi Epiſcopali minimè gaudent, dicendum eſt II. Eorum ſubditos ad ordines originarios eſſe Epiſcopi vicinoris Eccleſiis dictorum Prælatorum; quia Epiſcopo vicinori committitur ordinatio (vel remittere alteri Epiſcopo ut promoveantur) prædictorum ſubditorum: ergo vicinoris Epiſcopi erunt ad ordines originarii.

185. Dubitari tamen poteſt, an licèt prædicti Prælati Dimiſſorias ad ordines ſuis ſubditis concedere nequeant, iſti tamen obtinere teneantur à præfatis Prælatis Teſtimoniales litteras ſuper natalia, ætatem, mores, & vitam, eaſque Epiſcopo vicinori præſentare, ita ut iſte ſine dictis litteris, prædictos ſubditos promovere nequeat. Ante prædictam SS. Innocentii Conſtitutionem, duæ, & quidem contrariæ, declarationes Sacræ Congregationis inveniuntur, quaſque Barboſſa cit. *cap*. 33. *n*.61. refert, ibidemque conciliat, affirmativam intelligendo de congruentia, negativam vero de neceſſitate, hoc eſt, quod licèt Epiſcopus vicinior abſolutè non egeat prædictis Teſtimonialibus, ut prædictos ſubditos ad ordines promoveat, optimè quidem faciet, ſi ſine illis minimè promoveat.

186. Sed in terminis præſentis Conſtitutionis affirmativa conformior videtur ejus diſpoſitioni, tum quia cum prædicti ſubditi in Diœceſi Epiſcopi vicinoris non morentur, nequit iſte

de

de vita, moribus, aliiſque promovendi certus eſſe: ergo æquitate procedet non promovendo ſine litteris Teſtimonialibus proprii Prælati, cui incumbit ſcire de moribus & vita ſuorũ ſubditorum.

187. Tum quia ſicut per Sacram Congregationem promotio ſubditorum nullius Diœceſis, de quibus loquimur, commiſſa fuit Epiſcopo vicinori, ſic promotio Regularium commiſſa fuit à Clemente Octavo 16. *Martii* 1596. Epiſcopo Diœceſis, in qua eorum Monaſteria includuntur; ſed in Conſtitutione Clementis Octavi pro Regularibus edita, præcavetur, quod ipſi Regulares teneantur ſecum adferre Teſtimoniales litteras, à ſuis Prælatis obtinendas, Epiſcopoque; ordinanti præſentandas: ergo cnm eadem moderatione intelligendum eſt Sacram Congregationem commiſiſſe Epiſcopo vicinori promotionem ſubditorum nullius Diœceſis prædictorum.

188. Infertur ex his, natum ex accidenti in loco nullius Diœceſis, ibique detentum uſque ad tempus in quo capax fuit aliquo impedimento Canonico illigari, quique tenetur, vi præſentis Conſtitutionis, litteras Teſtimoniales à ſuo Ordinario obtinere, Epiſcopoque ornanti præſentare, obtinere inquam tenetur dictas Teſtimoniales literas à Prælato nullius Diœceſis, vere etenim Ordinarius eſt ſui territorii. Idem dicendum, quando natus in aliquo Epiſcopatu, domicilium contrahit in loco nullius Diœceſis, promoverique voluerit, obtinere enim tenetur Teſtimoniales literas à Prælato nullius Diœceſis, quibus Epiſcopo ordinanti conſtet, promovendum omnes & ſingulas conditiones, ad obtinendum domicilium in præſenti Conſtitutione adſcriptas, expleviſſe, & cum dictis Teſtimonialibus, & non alitèr, poterit Epiſcopus vicinior ſubditum nullius Diœceſis titulo domicilii promovere.

189. Similiter, ſi natus in loco nullius Diœceſis, domicilium contrahat in aliqua Diœceſi, ut iſtius Epiſcopus promovere ipſum valeat ad ordines, eget Teſtimonialibus, quaſque concedere debet Prælatus nullius Diœceſis; hic enim, & non alius, Ordinarius originis eſt promovendi: Undè quotieſcumque in præſenti Conſtitutione promovendo jubetur Teſtimoniales litteras à ſuo Ordinario originis, aut domicilii obtinere, à Prælato nullius Diœceſis obtinere tenetur, ſi in ejus territorio

 na-

natus fuit, aut domicilium contraxit, quia auctoritate Ordinarii pollet, præſenſque Conſtitutio ab Ordinario obtinendas præcepit, in ejuſque juriſdictione ordinaria, nec Epiſcopus vicinoir, nec alius intromitti valet.

# Titulus Domicilii.

190. POST originem ſermo de domicilio ſequitur, quod duplex eſt, originis ſcilicèt, & habitationis. Domicilium originis ortu naturali acquiritur, de hocque per totam quæſtionem II. egimus; in præſenti autem de domicilio habitationis agendum venit; ſed quia iſtud, præſentis Conſtitutionis decreto, non ſine pluribus conditionibus acquiritur, opere pretium eſt diſpoſitionem præſentis Conſtitutionis præſentem habere, quæ ſic intonat:

191. *Subditus autem ratione domicilii, ad effectum ſuſcipiendi ordines, is dumtaxat cenſeatur, qui licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeo ſtabilitèr conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltèm in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem, cum inſtructis ædibus in locum hujuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit; & nihilominùs ulteriùs utroque caſu ſe verè & realitèr animum hujuſmodi habere, jure jurando affiirmet.*

192. *Si quis tamèn à propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam ab Ordinario ſuæ originis Teſtimoniales litteras, ut ſupra, afferre debebit, ac de illis expreſſa ſimilitèr mentio, in ſuſceptorum ordinum litteris, facienda erit.*

193. Ad perfectam intelligentiam præſcriptarum particularum præſentis Conſtitutionis, adnotandum eſt I. Quod ut domicilium in aliquo loco acquiratur, indiſpenſabilis eſt animus perpetuò habitandi in eo, ita ut eo animo exiſtente, & in ipſo loco morando, vel ſaltèm pro permanentia in eodem ſupplicando, domicilium acquiritur, ut cum multis firmat P. Gobat. *tract.* 8. *caſ.* 7. *à. n.* 191. Verum quia dictus animus actus eſt internus,

ternus, ſignis eget externis, ut de illo Eccleſia certior fiat, ita ut his defficientibus, licèt in foro conſcientiæ domicilium contrahatur, pro ſuſcipiendis autem ordinibus titulo domicilii, minimè iſtud contractum ſit.

194. Adnotandum II. Inter perſonas, quæ contrahere domicilium valent, aliæ ſunt ita pauperes, ut nihil bonorum mobilium, immobiliumve poſſideant, ex quo, cum domicilium transferunt, perſonæ ſolùm tranſigunt: alia autem bona poſſident, quæ etiam, dum domicilium mutant, ad locum novi domicilii cum ſuis perſonis transferunt. Quibus ſuppoſitis.

195. Patet jam ſenſus prædictorum Conſtitutionis verborum: Diſponitur, namque, quod quando quis domicilium in aliena Diœceſi conſtituere parat, ut ad ordines cenſeatur domicilium contraxiſſe, vel debet in ipſo loco per decennium commorare, hocque ſive ſit perſona pauper, ſive non, unde & ſi bona quam plurima poſſideat, ſi tamen ſecum ad locum novi domicilii transferre noluerit, dummodo animum perpetuò habitandi ibidem habeat, per decenniumque commoretur, domicilium ad ordines inibi contrahit: Diſpoſitio enim præſens eſt diſiunctiva, optionemque ad alterutram partem relinquit: ergo quamlibet eligat, domicilium ad ordines contraxiſſe cenſendum eſt, addito tamen juramento.

196. Si tamen majorem partem ſuorum bonorum, rerumque ad novum domicilium transferat, non eget per decennium inibi commorare, ſufficit enim ſi aliquo tempore conſiderabili commoretur, ædes inſtruat, ac animum perpetuò ibidem permanendi habere, jure jurando affirmet. Verum ſi nulla bona, vel admodum pauciſſima poſſideat, dummodo domum ſibi conſtituat ad habitandum, veriùs cenſeo, quod non egebit per decennium ibi habitare, ſed ſufficit per conſiderabile tempus commorare, ut addita circunſtantia juramenti, ad ordines domicilium contraxiſſe inibi cenſeatur, quia ſic, modo ſibi poſſibili, ſuas ædes inſtruit, ac bona contulit. Cæterum, reliqua verba de Teſtimonialibus ab Ordinario originis, pro ſuo caſu, obtinendis ſermonem inſtituunt, de quibus infra latè *à n. 277.*

# QUÆSTIO III.

*De domicilio ad ordines requiſito, juxta Conſtitutionem Sanctiſſimi Innocentii XII.*

DE domicilio habitationis, ut dixi, eſt ſermo, in quo variæ difficultates ſe offerunt, quaſque ſequentibus dubiis proponemus.

DUBIUM I. *Quibus modis domicilium habitationis acquiratur, & an omnes ſub præſenti Conſtitutione comprehendantur.*

197. CIrca primum, tribus modis domicilium habitationis acquiritur, ut cum Pax Jordano docet P. Gobat ſupra citat. *n.* 289. ſcillcèt origine, Lege, & per habitationem. Alii autem naturale, commune, & accidentale vocitant: *Origine* acquirit puer, quia cenſetur habere idem domicilium quod Pater, maximè ſi in loco paterni domicilii natus eſt: Undè puer, qui in loco paterni domicilii naſcitur, non ſolum eſt ejus Loci originarius, verum etiam in eodem loco domicilium contrahit habitationis, ita ut utroqne titulo ad ordines valeat promoveri ab Epiſcopo ejuſdem Loci.

198. *Lege* acquiritur quando locus eſt Patria communis, qualis eſt Roma, *leg. Roma, ff. ad munic.* Jordanus *n.* 51. Vel per Principis privilegium, ſtatumve, adeptionem Dignitatis, aut Prælaturæ in loco, Monachatum, Clericatum, Lecturam, aut publicam profeſſuram, Matrimonium, &c. quæ videri poſſunt apud Jordanum, *vol.* 3. *lib.* 13. *tit.* 8. *n.* 230. Per habitationem acquiritur, habitando in aliquo loco, cum animo perpetuò in ipſo manendi: nec perpetuitati opponitur, cogitare ibi permanere, donec aliquid alio avocaverit. Gobat ſupra, *n.* 192. citans Laymanum; apud illumque plura ſcitu digna videnda. Hæc de Jure communi ſint dicta.

199. Cæterum jure ſpeciali præſentis Conſtitutionis, & quod ad ſuſcipiendos ordines attinet titulo domicilii tertio modo acquiſito, nulli eſſe dubium poterit, quod ut quis titulo domi-

domicilii ad ordines promoveri poſſit, ſervare tenetur omnes & ſingulas conditiones in præſenti Conſtitutione præfixas, numeroque 191. relatas. Difficultas eſt, (ut ſecundæ parti dubii ſatisfaciamus) an etiam ſervandæ ſint, cum quis domicilium habitationis acquirit *Origine*, aut *Lege*.

200. Reſpondeo, ut quis ad ordines promoveatur, domicilio *origine* obtento, non teneri ſervare conditiones præſenti clauſula, *n.* 191. relatas. Probatur, nam domicilium habitationis *origine* acquiritur, cum puer v. g. in loco paterni domicilii oritur, ſive in eo oriatur vere, aut juris fictione: cùm ergo in eodem loco cenſeatur habere, etiam ad ordines, idem domicilium ac Pater, *cap. licèt. cap. is qui de ſepulturis in 6.* Paterque, ut domicilium inibi acquirat nō teneatur omnes conditiones clauſulæ præſentis ſervare, nec filius tenebitur: Quis enim dicet, quod filius natus in loco paterni domicilii, ut inibi domicilium acquirat, egeat vel per decennium ibi habitare, vel ſeparatam domum inſtruere, &c. ergo ut domicilium habitationis origine acquirat, eoque titulo promoveatur, ſufficit quod in domo paterni domicilii habitet, hoc eſt, quod ſui juris factus, domicilium habitationis alibi non elegerit. Verum tamen eſt, quod hic caſus vix contingere poteſt; quia cum in dicto filio concurrat etiam titulus originis, regulariter iſto, & non domicilii, ad ordines utitur.

201. Reſpondeo II. Quod licèt Pax Jordanus apud Gobat citat. *n.* 290. pluſquam quindecim modos aſſignet, quibus domicilium habitationis *lege* acquiritur, & pro ſuſceptione ordinū ſufficiunt, in terminis tamen præſentis Conſtitutionis non ſuffragantur, niſi conditiones in ea expreſſæ expleantur, nam ad effectum ordines ſuſcipiendi, non aliæ leges, ſed præſens SS. Innocentii conſideranda eſt: ergo ſine conditionibus in ea præſcriptis, nullus cenſetur domicilium habitationis, ad effectum ordinum, acquiſivìſſe. Quod certum mihi videtur.

DU-

DUBIUM II. *An quando Pater domicilium in alia Diœceſi contrahit, ipſumque filius in minori ætate ſequitur, teneatur hic conditiones præſentis Conſtitutionis explere, ut eo titulo ad ordines promoveri valeat.*

202. Figuratur caſus, Petrus V.G. in aliena Diœceſi Sedem domicilii firmat, ipſum ſequitur filius nondum emancipatus, quæritur, num iſte filius ab Epiſcopo prædictæ Diœceſis, ubi Pater domicilium contraxit, titulo domicilii, poſſit ad ordines promoveri, quin filius expleat conditiones præſentis Conſtitutionis, *n.* 191. memoratas.

203. Reſpondeo affirmativè, dummodo Pater prædictas conditiones in loco novi domicilii expleverit. Quare filius, in caſu præſenti, ut titulo domicilii inibi promoveatur, non eget ſeparari à Patre, domumque ſeparatam inſtruere, ſed ſufficit, quod Pater in eo loco commoretur, cum animo perpetuò ibidem permanendi, majorem partem rerum, ac bonorum ſuorum ad dictum locum, ædes inſtruendo, transferat, in eoque per aliquod conſiderabile tempus commoretur, ac tandem, quod animum habeat perpetuò ibi commorandi, juramento aſtirmet.

204. Quod filius non teneatur prædictas conditiones explere, probatur I. Decretum enim præſentis Conſtitutionis obligat ſolummodò conditiònes dictas implere, cum ipſe ordinandus domicilium in aliena Diœceſi eligit, ibi: *Subditus autem ratione domicilii is dumtaxat cenſeatur, qui licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeò ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, &c.* ubi notandum eſt verbum *conſtituerit*, quod manifeſtè indicat loqui cum illo, qui ut promoveatur titulo domicilii, domicilium in aliqua Diœceſi elegit: cumque, in noſtro caſu Pater, & non filius, domicilium inibi eligat, filius non tenebitur prædictas conditiones apponere, ut inibi titulo domicilii promoveatur.

205. Probatur II. Quia filius dum non eligit domicilium, gaudet paterno, *ut ex leg. placet, & ſequent. Cod. ad municip.* docet P. Comitolus, *lib. 6. quæſt.* 45. *n.* 5. Navarro, *lib.*1. *conſil. de temporibus ordinat. conſil.* 3. *à n.* 3. quodque infert, *ex cap. licèt, cap. is qui, de ſepulturis in* 6. *Gloſs. leg.* 1. *Cod. ubi petant tutores,*

*V. ubi*

*V. ubi mirantur*. Gobat ſupra *n.* 299. Pax Jordanus, *elucubrat. volumi.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 49. ibi. *Efficitur quis ſubditus ad ordines, ratione domicilii proprii, vel paterni*: Pater enim & filius, dum non emancipatur, cenſetur eadem perſona: ergo filius ut cenſeatur domicilium contraxiſſe in aliquo loco, ſufficit, quod Pater in ipſo domicilium elegerit: non ergo eget filius conditiones præſentis Conſtitutionis in noſtro caſu apponere, ut titulo domicilii ad ordines promoveatur.

206. Quod Pater teneatur prædictas conditiones explere, ut ejus filius inibi promoveri valeat, ſuadetur I. Nam in dicto loco illud domicilium communicare poteſt filio non emancipato, quod ipſe Pater acquirit; at Pater non expletis conditionibus præſentis Conſtitutionis, domicilium ad ordines non acquirit:ergo nec poterit filio communicare,nemo enim dat, quod non habet: ergo ut filius inibi domicilium ad ordines acquirat, debet ſaltem Pater conditiones prȩſentis Conſtitutionis explere.

207. Suadetur II. à paritate: Nam ut filius cenſeretur domicilium Patris contraxiſſe in aliquo loco, eoque titulo ad ordines promoveri valeret ab ejus Epiſcopo,ante præſentem Conſtitutionem, neceſſe erat quod Pater conditiones de Jure requiſitas ad acquirendum domicilium in eodem loco apponere, aliter filius domicilium contraxiſſe non cenſebatur: ergo ſimiliter, ut filius cenſeatur domicilium, in loco ubi ejus Pater domicilium elegit, contraxiſſe ar ordines, tenetur Pater conditiones de Jure præſentis Conſtitutionis apponere, aliter filius inibi domicilium ad ordines non contraxiſſe cenſetur. Explicatur hoc; ut filius, ante præſentem Conſtitutionem, titulo domicilii ad ordines promoveretur ab Epiſcopo Loci, ubi Pater domicilium elegerat, ſufficiebat quod Pater conditiones de Jure requiſitas ad hunc effectum apponeret, quin filius eas ponere teneretur: ergo ſimiliter in noſtro caſu, ut filius promoveatur titulo domicilii, ſufficiet quod Pater conditiones præſentis Conſtitutionis apponat, quin filius apponere teneatur.

208. Nec obſtat particula *dumtaxat* in præſenti clauſula poſita, quæ excluſiva eſt, nam ut ſupra *n.* 117. diximus, non excludit caſus, qui juxta æquitatem Canonum, & Legum includendi ſunt ſic qui obtinuit Extra tempora, ut promoveri poſ-

ſit ab Ordinario *tantum*, *ſeu dumtaxat*, promoveri poteſt ab Antiſtite, ad quem ab Ordinario remittitur, quia nomine Ordinarii etiam ille, cui Ordinarius ſuas vices delegat, includitur, citat. Gobat. *caſu* 14. *n.* 570. cum ergo, quod filius non emancipatus ſequatur Patris domicilium, hocque titulo, moderationibus prædictis, promoveri ad ordines poſſit, æquitati Canonum, ac Legum ſit valde conforme, particula illa *dumtaxat* excluſus, minimè cenſendus, quod etiã docet Jordanus citat. *n.*34.

DUBIUM III. *An licite quis poſſit domicilium mutare, eo principaliter fine, ut ab Epiſcopo novi domicilii promoveatur.*

209. Titius V. G. omni ſpe perdita, quod ab Epiſcopo ſuæ originis ad ordines promoveatur, in alia Diœceſi, juxta præſentis Conſtitutionis diſpoſitionem, domicilium contrahit, eo principaliter motus fine, ut ab Epiſcopo novi domicilii ordines ſuſcipiat, quas ipſi Epiſcopus originis juſtè vel injuſtè denegat, quæritur an id licitè Titius valeat, maximè ab Epiſcopo ſuæ originis fugiendo. Idem inquiritur de illo, qui ob prædictum finem, Beneficium in aliena Diœceſi quærit.

210. Licitè valet, utitur enim jure ſuo, & quia ut in caſu ſupponitur, omnia requiſita ad obtinendum domicilium implet, animum ſcilicet verum ibidem permanendi habens, cui animo non derogat, alium addere ipſi nec oppoſitum, nec præſenti Conſtitutione damnatum: ergo licitè poteſt, & ita docet Doct. Lamperez, *n.* 378.

211. Nec obeſt, quod principale motivum SS. Innocentii ad præſentem Conſtitutionem ſtabiliendam, ut ex ejus Prologo conſtat, fuit, ne ſubditi à propriis fugerent Prælatis, Titiuſque in præſenti caſu fugere videtur ſuum originarium Prælatum, in ejuſque deſpectum, ac fraudem, quodque præſenti Conſtitutione vitari intenditur: Reſpondetur enim, prædicta mutatione Titium, nec fraudem committere, nec Prælatum deſpicere; nam vel Prælatus originarius juſtè, vel injuſtè Titio ordines denegat, & in quocumque caſu eget Titius Teſtimonialibus Epiſcopi ſuæ originis, quibus inſtruere tenetur Epiſcopo novi domicilii, aut Beneficii de moribus Titii, qui ſi tales ſint, ut ju-

juſtè ab Epiſcopo originis ordines Titio denegati ſint, itidem ab Epiſcopo domicilii denegabuntur: ſi tales non fuerint, non deſpicit Prælatum originis, alium quærendo, ſicut non deſpicit Judicem, quia à ſententia ab eo pronuntiata, ad alium Judicem appellat.

DUBIUM IV. *Quis temporis tranſcurſus erit neceſſarius, ad verificandum eſſe conſiderabilem.*

212. INter reliquas conditiones, quas præſens Conſtitutio, verbis ſupra *n.* 191. relatis, expoſcit, altera eſt, quod ut quis domicilium in aliqua Diœceſi, ad effectum ordinum, acquirat, commorare debet in ipſa per aliquod conſiderabile tempus; quærimus ergo, quantum temporis commorari oportet, ut conſiderabile tempus commoraſſe conſtet.

213. Ante præſentis Conſtitutionis Decretum, valde probabile apud Auctores erat, quod ex quo quis in oppido domum emebat, aut conſtituebat ad habitandum, in ſimulque explicabat ſuum animum eſſe ibi perpetuò manere, ipſo facto inibi domicilium acquirebat, etiam ad ordines, ita ut ſi cum prædictis circunſtatiis hodie ad dictum oppidum veniebat, mane ejus filius, ordines ab oppidi Epiſcopo petere valebat, ut cum multis firmat citat. Gobat. *tract.* 8. *caſu* 7. *n.* 295. Sed ſtante SS. Innocentii Conſtitutione inſufficiens ad ordines eſt tam brevis permanentia, egeret etenim, qui ad ordines in ea Diœceſi promoveri vellet, conſiderabile ſaltèm aliquod tempus in ea commorare.

214. Supponendum eſt pro deciſione I. per *tempus conſiderabile* in præſenti Conſtitutione non poſſe intelligi curſum decem annorum, ſed multo minorem, ut conſideranti patebit; contraponitur enim in ea curſus temporis conſiderabilis ad curſum decennii: ergo per curſum temporis conſiderabilis, nequit intelligere decennii curſum, ſed vel majorem, vel minorem, non majorem, ut ex ſe conſtat: ergo minorem.

215. Supponendum II. Curſum unicæ noctis, in noſtro caſu, non poſſe efficere curſum temporis conſiderabilis & longi, licèt in alio inſinuaverit P. Petrus Urtado apud Dianam, *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 8. qui explicans ſententiam P. Suarez, *tom.* 4.

 *in* 3.

*in 3. p. diſp. 23. ſect. 2.* Ubi Eximius Doctor, tamquam probabile defendit, quod quando pœnitens deffert reſervata peccata Superiori, ad quem ipſe pœnitens nequit accedere, niſi poſt longum tempus, poteſt Confeſſarius ipſum à reſervatis abſolvere, ea adjecta conditione, ut cum primo poſſit, ante ſuperiorem compareat. Suppoſita hac P. Suarez doctrina, inquirit Urtado, quid per tempus longum intelligatur in ea, & reſpondet, intelligi curſum unicæ noctis, non quia hic in ſe tempus longum ſit, ſed quia inſpectis circunſtantiis, periculi ſcilicèt repentinæ mortis pœnitentis (ut frequenter contingere aſſolet) in illa nocte hææ, inquam circunſtantiæ, ait, efficiunt, ut curſus unicę noctis tamquam tempus longum cenſeatur. Sed quidquid ſit de probabilitate hujus doctrinæ, certò tenendum, præſenti caſui coaptari non poſſe, nec enim in eo tales circunſtantiæ figurari poſſunt, ut curſum unicæ noctis tempus conſiderabile efficiant, ut ex ſe eſt manifeſtum.

216. Nec item in terminis præſentis Conſtitutionis tranſitus unius menſis tempus conſiderabile cenſeri valet: Præſens etenim Conſtitutio, cum Trident. *ſeſſio. 23. cap. 9. de reformat.* indixiſſet Dominis Epiſcopis, ut quando ſuos familiares ad ordines promovere voluerint, *Beneficium ſtatim illis conferant*, ly *ſtatim* Tridentinum verbis infra referendis, ita explicat, *ſtatim, hoc eſt ſaltem intra terminum unius menſis*. Qua expoſitione arguitur ſic: Innegabile eſt, quod *tempus conſiderabile* plus temporis includit, quam *ſtatim* includat: ergo ſi per ly *ſtatim* prę ſens Conſtitutio intelligit tranſitum dumtaxat unius menſis, unius menſis curſus, in præſẽtis Conſtitutionis mente, nequit eſſe conſiderabile tempus.

217. Supponendum III. Curſum triennii completi eſſe conſiderabile tempus, prout præſenti Conſtitutione in noſtro caſu expoſcitur: Unde qui animo domicilium contrahendi in aliquo oppido, ad iſtum ſe conferret cum majori parte ſuorum bonorum, rerumque, ædes inſtrueret, per trienniumque completum moraretur, conſiderabile tempus in præſenti Conſtitutione expreſſum, expleret, poſſetque ab ejus Epiſcopo initiari, ulterioręſque ordines ſuſcipere: ſi enim Tridentinum citatum facultatem concedit Epiſcopo, ut familiarem ſuum alienæ Diœceſis ſubditum, quemque per triennium integrum & completum

ſecum

ſecum in ſuo ſervitio retinuit, promovere ad ordines valeat, cur idem non dicemus in noſtro caſu, illum ſcilicèt, qui per triennium completum in novo domicilio commoratus fuit, per tempus conſiderabile commoraſſe, & ab ejus Epiſcopo ad ordines promoveri poſſe: etenim ſi curſus triennii completi, ex mente Tridentini, ſufficit ad inducendum titulum Familiaritatis, quo Familiaris promoveri poſſit, cur curſus triennii completi non inducet tempus conſiderabile, quo quis ad ordines promoveri valeat. Difficultas in præſenti eſt, an curſus minor temporis ſufficiat, ad verificandum, quod per conſiderabile tempus in ea Diœceſi permanſit, V. G: an curſus duorum, vel unius anni, plus, miuuſve ſufficiat.

218. Non videtur improbabile, quod curſus unius anni plus, minuſve, ſit in noſtro caſu tempus conſiderabile, tum quia judicio prudentum tranſitus unius anni conſiderabile tempus cenſetur; tum quia principale motivum præſentis Conſtitutionis ad decernendam permanentiam temporis conſiderabilis, eo reſpexit, ut certioraretur, quod mutatio illa domicilii oriebatur ex animo reali, & vero inibi perpetuò permanendi, nonque ex ſimulata fraude aut dolo, ut ordines, quos Epiſcopus originis denegat, ſuſcipiat ab Epiſcopo novi domicllii; at per curſum unius anni, adjunctis aliis conditionibus juramenti, &c. ſatis ſuperque judicio prudentum manifeſtat, ſe habere animum inibi perpetuò permanendi, purgatque ſufficienter fraudes, quæ ſuſpicari poterant: ergo permanendo per unicũ annum in dicto loco, ſufficit, ut per tempus conſiderabile ibi permãſiſſe, cenſeatur.

219. Sed dices, idem poſſe affirmari eſtò per dimidium anni commoretur, adjunctis enim cœteris conditionibus, tranſlationis ſcilicèt majoris partis bonorum, juramenti, &c. animũ manifeſtat, fraudeſque purgat. Reſpondetur enim negando aſſumptum, nam tranſitus dimidii anni ex ſe, judicio prudentum, non cenſetur conſiderabile tempus, ſicut unius anni curſus cenſetur.

220. Dixi *non videri improbabile*, quia probabilius, immo certum eſt, quod determinare quando ſit vel non tempus conſiderabile decurſum, pertinet ad Dominum Epiſcopum illius oppidi, in quo, qui noviter domicilium ad ordines contrahere

 parat,

parat, moratur, qui quidem Dominus Epiſcopus valet pro ſuo regulato arbitrio in aliis caſibus breviori tempore elapſo, tempus conſiderabile decurſiſſe, ac declarare, in aliis autem non ita: etenim quando lex curſum temporis expoſcit ad majorem ſecuritatem, breviori tempore declaratur, quando ſucuritas breviori tempore apparet, *Cap. ad Apoſtolicam, de Regularibus, & ibi Panormitanus, num.* 7. *&* 8. *inferturque ex cap. legem* 53. *diſtinct. cap. fraternitatis,* 34. *diſtinct.* Unde ad promovendum Senatorem, qui in aliena Diœceſi officium perpetuum exercet, nec annum opus eſt expectare, quia per exercitium officii ſatis ſuperque conſtat, animum inibi perpetuò permanendi habere. Idem dicendum de ejus filiis, qui ſecum commorantur. Quod autem hæc declaratio ad Ordinarium expectet, conſtat ex traditis à Barboſa, *cap. niſi cum pridem, de renuntiatione, num.* 9. Cum communi DD.

DUBIUM V. *An ſufficiat tempus conſiderabile diſtribuiſſe in diverſis oppidis, ejuſdem tamen Diœceſis.*

221. PRO quæſtionis deciſione ſupponendum eſt, tempus conſiderabile, quod quis permanere debet in loco novi domicilii eſſe V. G. unius anni: Quo ſuppoſito, quæritur, an ſi prædictum annum tranſegiſſet quis non in eodem oppido, ſed in diverſis, ejuſdem tamen Diœceſis, ita ut per ſex menſes in uno habitaverit, à quo tamen receſſit cauſa peſtis, militiæ, vel ſalutis, & in alio reliquos ſex menſes habitavit, cum animo tamen in utroque perpetuò reſpectivè permanendi, licèt à primo loco ob dictas cauſas receſſerit, an inquam id ſufficiat, ut verùm ſit, quod domicilium conſtituerit *in aliquo loco* adeò ſtabiliter, ut per tempus conſiderabile in eo permanſerit, juxta diſpoſitionem præſentis Conſtitutionis, poſſitque ejus Epiſcopus, tempore ſic diſtributo, ipſum ad ordines promovere titulo domicilii, concurrentibus itidem reliquis circunſtantiis.

222. Affirmativè reſpondetur, & probatur, nam per verba illa *in aliquo loco* intelligitur tota Diœceſis, ſicut enim per Parochiam intelligitur tota Diœceſis, ut docet Gloſ. *in cap. cum nullus, de temporibus ordinat.* ita & per *locum*; etenim Epiſcopo

tota

tota Diœceſis eſt eadem Parochia, idemque locus: ergo cum in noſtro caſu Titius non mutaverit Diœceſim, licèt oppida mutaverit, ſemper verum erit, quod in illo loco conſiderabile tempus permanſit, ac conſequentèr deffectu hujus circunſtantiæ impediri nequit Titio ad ordines titulo domicilii promoveri. Secus dicendum, ſi in diverſis oppidis diverſarum Diœceſum tempus, modo dicto, diſtribuere, in neutra enim domicilium acquireret, ut ex ſe eſt manifeſtum.

223. Excipitur tamen caſus in quo Pater domicilium contrahat in loco, ubi ejus filius ex accidenti natus fuit; Pater enim in hujuſmodi eventu non eget in dicto loco per conſiderabile tempus permanere, ut ejus filius ab Epiſcopo illius Loci promoveatur, ex dictis ſupra *n.* 154. Ratio eſt, quia filius in eo caſu promovetur titulo originis, non domicilii, ſicque nec Pater, nec filius tenentur in dicto loco per conſiderabile tempus permanere, ſed ipſo facto quod Pater domicilium de Jure communi contraxit in eo loco, filius ab ejus Epiſcopo valet promoveri.

## DUBIUM VI. *An attenta præſenti conſtitutione duo domicilia ſimul componi poſſint in diverſis Diœceſibus.*

224. PRocedit quæſtio de duplici domicilio habitationis, nam ſimul contrahere aliud *originis*, & *habitationis* aliud, ac ex utroqne quod maluerit eligere ad ordines ſuſcipiendos, nihil inter Auctores communius, nec in hoc puncto quidquam præſenti Conſtitutione innovatur, nec item quæſtio procedit quo ad alios effectus, acquirendi ſcilicèt honores, Beneficia, &c. commune enim etiam eſt apud Auctores duo domicilia ſimul componibilia eſſe, teſte Comitolo *Reſponſa moral. lib.* 6. *quæſt.* 45. *num.* 2. ubi eruditè defendit duplex domicilium ſimul, non ſolum ad prædictos effectus, verum & ad plura ſacramenta, unde ſi Titius ait, per ſex menſes domicilium contraheret in aliqua Parochia, & per ſex menſes in alia ſive ejuſdem, ſive alterius Diœceſis, ſicque per totam vitam alternaretur, poſſet ab utroque Vicario Sacrmenta ſuſcipere, utriuſque enim eſſet verus Parochianus ratione domicilii, ita Comitolus loco citat. *& lib.* 1. *quæſt.* 110. *num.* 3. *verſ. Quinta ratio.*

225. Quæ-

225. Quæſtio ergo procedit de duplici domicilio ſimultaneo in diverſis Diœceſibus, & quo ad effectum ordines ſuſcipiendi titulo domicilii habitationis, ita ut ſicut ad alios effectus, & ad receptionem aliorum Sacramentorum communiter Doctores duo domicilia ſimul admittunt, ſic etiam, attenta diſpoſitione præſentis Conſtitutionis, poſſit Titius duo domicilia ſimul in duplici Diœceſi contrahere, & à quocumque eorum, quod maluerit, Prælato, & ſine alterius conſenſu, ad ordines promoveri. Dixi attenta præſentis Conſtitutionis diſpoſitione, nam ante illam affirmativa communis erat apud Auctores cum Gloſ. ſupra citata.

226. Sed in terminis præſentis SS. Innocentii Conſtitutionis, negativa ſententia firmiter tenenda eſt, & probatur; nam in terminis præſentis Conſtitutionis ut quis domicilium habitationis, ad effectum ſuſcipiendi ordines, in aliquo loco acquirat, debet vel per decennium in eo loco habitare, vel ſaltem majorem partem ſuorum bonorum, rerumque, cum inſtructis ædibus, ad ipſum transferre, at neutram ex his conditionibus ſimul in duplici Diœceſi implere poterit: ergo nec duplex domicilium ſimul in duplici Diœceſi componere valebit. Minor quo ad I. partem probatur: Ut enim infra *n.* 296. dicetur, decennium, ut quis ſubditus fiat domicilii ad ordines, debet eſſe completum, ac continuum, non cum intercadentiis: cum ergo habitando partim in aliqua Diœceſi, partim in alia, in neutra ſit decennium continuum, neque in aliqua decennium, hac via, implebit: ergo nec domicilium in utraque ſimul componet.

227. Quo ad II. partem ſuadetur efficaciter, nam ut domicilium prædictum per ſecundam viam, à præſenti Conſtitutione aſſignatam, acquirat, neceſſe eſt, quo majorem partem rerum, ac bonorum in hujuſmodi locum transferat; at impoſſibile eſt, quod ſimul in duplici Diœceſi majorem partem ſuarum rerum poſſideat, ſi enim in una majorem poſſideat, in altera neceſſe eſt minorem poſſidere, ut ex ſe conſtat: in terminis ergo præſentis Conſtitutionis nequit quis duplex domicilinm habitationis ſimul acquirere.

228. Quod ſi ejus bona in utraque Diœceſi æque dividat, præterquam quod hoc impoſſibile moraliter apparet, in neutra

Diœ-

Diœceſi domicilium ad ordines acquireret, cum in neutra majorem partem ſuorum bonorum poſſideret; Nota, exceſſum, quamvis modicum, ſufficere, ut in Diœceſi, ubi modicus exceſſus bonorum poſſidetur, domicilinm prædictum acquiratur, quia ratione exceſſus, quantumvis modici, verum eſt, quod in eo loco majorem partem ſuorum bonorum poſſidet. Favet reſolutioni noſtræ D. Lamperez, *n.* 422.

DUBIUM VII. *Quæ bona transferenda ſunt ad locum domicilii, ut domililium acquiſitum eſſe cenſeatur.*

229. CONſtat ex retrodictis, tranſlatione majoris partis rerum, bonorumque ad locum, ubi domicilium contrahere intenditur, cæteris tamen conditionibus expletis, domicilium inibi acquiri, quæritur nunc, quid nomine rerum, bonorumque intelligatur in præſenti Conſtitutione. Omiſſis pluribus quæ de intelligentia harum vocum videri poſſunt apud Barboſſa *de Appellat. Verborum, appellat.* 35. *&* 235. & ad præſens minimè attinent, in præſenti dumtaxat examinabimus, an nomine bonorum veniant mobilia, & immobilia, viri, & uxoris, poſſeſſa, & poſſidenda, aliaque ſimilia.

230. Cenſeo I. In noſtro caſu ſufficere majorem partem rerum, ac bonorum mobilium transferre, quin opus ſit immobilia transferre, ſufficit enim ſi iſta in reditibus transferat, hoc eſt quod reditus, quos in alia Diœceſi percipit, in ea, in qua domicilium elegit, impendat: Tum quia bona immobilia facile transferri nequeunt ſine magno diſpendio, & leges poſitivæ cum diſpendio maximo obligare non intendunt. Tum quia fructus, ſeu reditus transferendo, & bona immobilia transferuntur, nomine enim bonorum venit uſufructus, ut docet Barboſſa cit. *appellat.* 35. *n.* 16.

231. Ex quo, ſi ex bonis mobilibus, & immobilibus, majorem partem in alia Diœceſi relinquat etiam cum ſuis reditibus, ut ibi fundos augeat, domicilium non contrahet ad ordines in altera Diœceſi; quia ad iſtam non transfert majorem partem ſuorum bonorum: juxta diſpoſitionem præſentis Conſtitutionis, in qua nomine bonorum mobilia, & immobilia intelligenda

genda veniunt ex doctrina Barboſæ citati: ergo non transferendo majorem partem bonorum mobilium, & immobilium vel in ſe, vel in reditibus, diſpoſitioni præſentis Conſtitutionis non ſatisfaciet. Dixi *ut ibi fundos augeat*, nam ſi majorem partem bonorum alibi relinquant, ut debita, ac onera ſatisfaciat, domicilium contrahet in noſtro caſu, quia ad hoc ſufficit bonorum ſuorum majorem partem transferre; bona autem quibus debita, ac onere ſolvit, abſolutè ſua non ſunt Barboſa *appellat.* 35. *n.* 17. Hæc intellige cũ moderatione infra n. 236. explicanda.

232. Excipe, niſi oppidum ad quod minorem partem bonorum transfert, ſit ejuſdem Diœceſis, cujus eſt alterum, in quo majorem partem relinquit, nam poterit ab ejus Epiſcopo ordines recipere; nomine enim Loci in præſenti Conſtituione, intelligitur tota Diœceſis: ergo dummodo in eadem Diœceſi totam, aut ſaltem majorem partem bonorum ſuorum poſſideat, nihil obſtat quo minus poſſideat in pluribus ejuſdem Diœceſis oppidis, juxta ſæpe in ſimili dicta ſupra *n.* 222. *Mulier bona*, *ff. de jure dotium*.

233. Cenſeo II. Inter bona quæ in noſtto caſu eligens domicilium ad iſtud transferre tenetur, minimè computanda bona uxoris, aut filiorum, eſtò ad Maritum, aut Patrem, jure legis adminiſtratio pertineat, quia adminiſtratio non efficit quod ea bona ſua ſint, cum verè ſint uxoris, ac filiorum *dicta leg. Mulier bona.*| *Leg. Subſignatum*, §. *bona*, *ff. de verborum ſignificat.* Quæ doctrina notanda eſt pro caſu, quo vir, mortua uxore, voluerit, ad ordines promoveri ab EpiſcopoLoci, in quo majorem partem ſuorum bonorum tranſtulit, licèt bona mulieris multo plura ſint, ac ipſa nullo modo tranſtulerit, poteſt promoveri, quia majorem partem ſuorum bonorum tranſtulit, hocque ex dictis ſufficit. Similiter pro caſu ſupra *à n.* 202. exarato, ubi diximus, quod filius non emancipatus, ac Patrem, qui alibi domicilium parat, ſequitur, ſolus Pater tenetur majorem partem bonorum ſuorum transferre, ut filius dictus ibi domicilium contraxiſſe cenſeatur, quodque verum erit, eo ſolum quod Pater majorem ſuorum bonorum partem transferat, eſto bona filiorum non transferat; Pater enim domicilium inibi contrahit, quia majorem partem ſuorum bonornm tranſtulit, & filius etiam,

quia

quia dum domicilium filius non eligit, idem domicilium cenſetur habere ac Pater. Vide dicta numero citato.

234. Cenſeo III. In noſtro caſu nomine bonorum intelligenda veniunt, præſentia, non poſtea quæſita, Barboſa cit. *n.* 15. Nec veniunt hæreditas, aut ſucceſſio, Barboſa *n.* 6. Unde, qui domicilium in noſtro caſu parat, ſufficit ſi ad locum transferat majorem partem ſuorum bonorum, quæ tempore, quo domicilium mutat, poſſidet, ac bona transfert, nec computanda, quæ poſtea hæreditate vèl alio modo acquirit, etiam ſi ea acquirat intra durationem temporis conſiderabilis, quam permanere tenetur in eo loco, ut ſubditus domicilii ad ordines fiat; quia hææ ſunt diverſæ diſpoſitiones, quarum una ab alia minimè pendet.

Niſi in caſu, quo ad dictum locum majorem partem bonorum non tranſtulerit, ſi enim eo medio tempore nova bona acquirat, poſſideatque, computanda ad tranſlationem majoris partis ſunt, in hoc etenim caſu verè & propriè bona ſua ſunt.

Nec ut tempus conſiderabile, quod permanere inibi tenetur, incipiat currere, requiritur, quod ad dictum locum major pars ſuorum bonorum ſit jam tranſlata, ſed ſufficit, quod in dicto loco moretur, cum animo inibi perpetuò habitandi, aliquamque partem bonorum transferat, poſteaque tranſlationem majoris partis expleat, ut ex ſe patet.

235. Inter bona autem in noſtro caſu minimè computanda ea, quæ ex induſtria pendent, V. G. quia, qui domicilium mutat, eſt inſignis Medicus, aut Muſicæ peritiſſimus; ſicut enim his, & ſimilibus titulis, nequit quis ad ordines promoveri, ut docet Barboſa *in Trident. ſeſſio. 21. cap. 2. de reformat. n. 49. &* 52. ſic nec ipſis domicilium ad ordines acquiret: Undè qui majorem partem bonorum mobilium, & immobilium alibi relinqueret, ſolumque minorem in noſtro caſu transferret, exiſtimans, quod hæc minor pars ſimul cum profeſſione Medicinæ, aut Muſicæ eſſet jam pars major ſuorum bonorum, nihil efficeret, quia præſens Conſtitutio de bonis à perſona ſeparatis ſatis apertè loquitur, & bona, quæ ab induſtria pendent, à perſona inſeparabilia ſunt.

236. Sed quid ſi in eodem oppido diverſæ extant juriſdictiones, & in una commoratur, in alia autem major bonorum

pars poſſidetur. V. G. Titius cum Diœceſis Tiraſonenſis originarius ſit, Cæſar-Auguſtam venit, ut inibi domicilium contrahat, ac in Parochia S. Engratidis, quæ Diœceſis eſt Oſcenſis, domum emit, aut conſtituit, inſtruitque, majorem autem partem bonorum in territorio Diœceſis Cæſar-Auguſtanę poſſidet, quæritur, an quia habitat in Diœceſis Oſcenſis domo, obſtet, ne domicilium in Diœceſi Cæſar-Auguſtana contrahat ad ordines, ubi majorem poſſidet bonorum partem.

237. Reſpondetur non obſtare, unde, cæteris conditionibus expletis, domicilium in Diœceſi Cæſar-Auguſtana ad ordines contrahet; quia ut ſupponimus Titius in Civitate Cæſar-Auguſtana domicilium contrahere intendit, Domuſq; Parochię S. Engratidis Civitatis eſt Cæſar-Auguſtanæ. Nec obſtet quod ſit alterius Diœceſis, quia ad præſens per accidens ſe habet.

## DUBIUM VIII. *An præſenti diſpoſitioni de jure jurando fiat ſatis, falſum jurando.*

238. PRæſentis Conſtitutionis decreto tenetur, qui domicilium ad ordines in aliqua Diœceſi contrahere intendit, ultra alias conditiones, juramento firmare, ſe vere, & realiter animum inibi perpetuò permanendi habere, & circa hanc diſpoſitionem difficultari quid, an ipſi falſum jurando ſatisfaciat, hoc eſt, jurando ſe vere, & realiter hujuſmodi animum habere, cum revera talem animum non habeat.

239. Pro deciſione adnotandum eſt I. ſufficere ante ſuſceptionem ordinum prædictum juramentum, in noſtro caſu, ſemel præſtare, quin opus ſit, ante ſingulorum ordinum receptionem juramentum iterari: Unde ſufficit, quod ante Clericalem tonſuram de hujuſmodi animo jure jurando affirmet, nec opus eſt in receptione ulteriorum ordinum iterum, atque iterum prædictum juramentum præſtare: ſemel enim juramento præſtito, efficitur ſubditus illius Domini Epiſcopi ad omnes ordines: ergo ſine novo juramento poterit ab eo omnes ordines recipere, quod inde patet, nam præſens Conſtitutio exigit juramentum abſolute, & ſimpliciter, & ſermo ſimpliciter prolatus, intelligitur de prima vice, ex dictis ſupra *n.* 149. Limita tamen, niſi inter ordi-

ordinem ac ordinem domicilium interrumperet, tunc enim cum de novo domicilium in eodem loco contrahat, de novo etiam juramentum præſtare tenetur, nec ſuffragatur, antea præſtitiſſe.

240. Adnotandum II. Quod in triplici ſenſu exagitari valet præſens difficultas I. Cum Titius V. G. habitationem mutavit ad aliquam Diœceſim, ſine animo tamen in ea perpetuò permanendi, ac dictum animum non habendo, jure jurando affirmat, ſe illum habere. II. Cum tempore quo habitationem mutavit, verum animum inibi perpetuò commorandi habuit, tempore autem quo jurat, animum prædictum retractavit, juratque ſe habere, cum re vera non habeat. III. Si verum animum habens, juramentum præſtitit, ac poſtea vel ante primi ordinis ſuſceptionem, vel primo ſuſcepto, ante ſecundum, animum retractavit: In his ergo & ſimilibus caſibus quæritur, an falſum jurando ſatisfaciat Titius diſpoſitioni præſentis Conſtitutionis, liciteque ad ordines promoveri valeat titulo domicilii. Ad primum ſenſum reſpondebimus in hoc dubio, ad ſequenteſque in ſequenti.

241. Ad primum ergo dubii ſenſum, reſpondetur. Qui ſine verò animo permanendi perpetuo in aliquo loco, ad iſtum habitationem mutat, juratque, ſe prædictum animum vere & realiter habere, cum realiter & vere non habeat, ſic perjurando, non ſolum graviſſimè peccat, ſed ne domicilium in eo loco ad ordines acquirit, ſicque in noſtro caſu juramento falſo non ſatisfaciet diſpoſitioni præſentis Conſtitutionis: Omnes enim, ac ſingulas circunſtantias, ſeu conditiones, quas pro domicilio acquirendo præſens exigit Conſtitutio, tamquam forma exigit; at cum leges aliqua tamquam forma exigunt, qualibet deficiente, actus nullus eſt, ut communiter in tractatu de legibus docent Doctores: ergo cum præſens Conſtitutio exigat juramentum de vero & reali animo, huncque Titius non habeat, non præſtat juramentum, in noſtro caſu, à lege intentum, ac conſequenter eo domicilium non acquiret.

242. Major probatur; nam quando in diſpoſitionibus de aliquid faciendo, invenitur dictio *dumtaxat*, vel alia taxativa quævis, ſolemnitatem, & formam inducit, ac illarum trangreſſio actum vitiat, ut cum multis firmat Barboſa *de Dictionibus*

*uſufrequent. dict.* 97. *n.* 9. At dictio taxativa *dumtaxat* invenitur in præſenti Conſtitutione, dum ea, quæ pro acquirendo ad ordines domicilio, diſponit, ibi: *Subditus autem ratione domicilii is dumtaxat cenſeatur, &c.* ergo ea quæ facienda diſponit ſolemnitatem & formam inducũt, cujuslibetq; tranſgreſſio actum vitiabit: ergo cum Titius falſum jurando, juramentum à lege intentum non præſtet, domicilium non acquiret, nec ad ordines promoveri valebit.

243. Nec obſtat, quod jurando, licèt falſo, explet Titius quidquid præſenti Conſtitutione indicitur, in ea enim jubetur ſolùm, quod Titius juret ſe habere verè & realiter animum in eo loco perpetuò permanendi, quodque juramento falſo præſtat, nam aliud eſt verè jurare, & aliud jurare de objecto vero: Titiùs ergo licèt in noſtro caſu de objecto vero non juret, jurat tamen verè, hocque, & non illud à præſenti Conſtitutione expoſcitur: ergo perjurando Conſtitutioni ſatisfacit, conſequenterque domicilium eo juramento ad ordines acquiret.

244. Quod variis exemplis confirmari valet: Sacri enim Canones, ut conſtat *ex Cap. Sanctorum, cap. neminem.* 70. *diſt.* Suſpenſionem promotis Beneficio, aut Patrimonio fictis ingerunt, quaſque pœnas. Trident. *Seſſio* 21. *cap.* 2. *de reformat.* innovabit: & nihilominus graviſſimi Doctores, quos citat, ſequiturque Palao, *p.* 4. *tract.* 27. *diſp. unic. punct.* 12. *à n.* 6. tuentur probabiliſſimè, quod ſi promovendus Epiſcopo legitimè Conſtare facit, etſi falſis teſtibus, ſe verum Beneficium, aut Patrimonium habere, quod tamen re vera non habet, hac falſa probatione, teſtibuſque falſis invecta, liberatur à ſuſpenſione prædictis Canonibus indicta: ſimiliter ergo dicendum in noſtro caſu; ſi enim teſtibus falſis ſit ſatis legi Beneficium pro ordinibus expoſcenti, liberaturque pœnis, pro promotis ſine illo invectis, cur juramento falſo non fiet ſatis diſpoſitioni præſentis Conſtitutionis, liberabiturque ab ejus pœnis, qui, etſi falſo, juramentum verè præſtat.

245. Inſuper, *cap. Prælatis, de homicidio in* 6. cavetur, quod ſi Prælatus, alterve Eccleſiaſticus accuſaverit de delicto, cui annexa eſt pœna mortis, vel mutilationis, ut ab irregularitate, ſecuta pœna liberetur, præmittere tenetur proteſtationem, qua

conſtet

conſtet ſe animo vindictæ minimè accuſaſſe: & nihilominus Felinus *in cap. poſtulaſti, de homicidio*: cum aliis, quos ſequitur P. Givalinus, *de irregularit. cap. 4. quæſt. 3. n.* 62. docent, eum qui fictè dictam proteſtationem præmitteret, hoc eſt, quod oretenus dumtaxat vindictam non intendere affirmaret, eſtò animo interiori vindicta inflammaretur, eoque moveretur, minimè irregularitatem contrahere, dummodo exterius pronuntiet, ac proteſtetur animo vindictæ ad prædictam accuſationem non moveri, irregularitatem evaderet: ergo ſimiliter in noſtro caſu juramento falſo legi Titius ſatitfaciet, ejuſque pœnis liberabitur; ſicut enim domicilium ab animo interno pendet, ſic carentia vindictæ à carentia animi interioris pendet etiam, ut per ſe patet: ergo ſicut qui exteriùs animum vindictæ non habere proteſtatur, licèt interius vindicta flammeſcat, legi, de non accuſando animo vindictæ, ſatisfacit, ab ejuſque pœnis liberatur, ſic in noſtro caſu, cum Titius exterius juret, ſe animum vere & realiter habere permanendi perpetuò in eo loco, licèt interius tali animo careat, legi ſatisfaciet, ab ejuſq; pœnis immunis erit.

246. Ad hæc. Qui fictè rebaptizatur, irregularitate innodatur, ut graviſſimi docent DD. ea moti ratione, nam ſufficit exterius legi contravenire: ergo à ſenſu contrario, ſufficit actum externum ponere, ut legi fiat ſatis, aliter leges æquitate carerent, condemnando ſcilicet illum, qui exterius ſolummodo actum ipſis contrarium ponit, & non abſolvendo illum, qui actum legi conformem, exteriorem ſolummodò tamen, poneret.

247. Reſpondetur tamen ad objectionem, negando præſentem Conſtitutionem, verbis ſupra *n.* 191. relatis, expoſcere ſolum, quod, in noſtro caſu, juramentum præſtet Titius, ſe vere & realiter animum habere perpetuò permanendi in eo loco, & non quod hujuſmodi animum vere & realiter habeat, utrumque enim præcipit: iſtud, dum domicilium conſtituere in eo loco Titio præcepit, ibi: *Illud tamen (ſupple domicilium) adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, &c.* Domicilium autem ſine animo vero perpetuò permanendi, chimericum eſt: dum ergo domicilium præcipit, & verum præcipit animum, cum ſine iſto domicilium intelligi nequat: illud præcipit in illis verbis, ibi: *Et nihilominus, utroque caſu, &c.* Undè utrumque præcipit,

&

& quod verum habeat animum, & quod ipſum ſe habere, jure jurando affirmet. Nec contrarium credibile eſt: incredibile enim per ſe apparet, quod præſens Conſtitutio ſigna adeo rigida, qualia ſunt decennii, vel conſiderabilis temporis habitatio, juramentũque, pro manifeſtando animo ficto præſcripſerit: Immo adeò rigida ſigna decrevit, ut animũ fictũ è medio tolleret.

248. Ad I. exemplum deſumptum ex Beneficio, Patrimonioque fictis, reſpondetur antecedens generaliter nec probabile eſſe; vel enim loquitur de illo, qui falſis teſtibus Beneficium ſe habere in aliena Diœceſi legitimè conſtare faceret, vel in propria Diœceſi, ſi de illo, negamus ſuſpenſionem non incurrere, ſaltem enim incurreret ſuſpenſionem præſenti Conſtitutione exaratam, cum in iſtius terminis, ut Titius fiat ſubditus titulo Beneficii Epiſcopi alieni, Beneficium in ejus Diœceſi poſſidere debet, Beneficium autem fictum, Beneficium non eſt: ergo nec ſubjectionem tribuere valet: ergo qui eo promoveretur, ab alieno Epiſcopo promoveretur, pœnaſque contra promotos ab alienis Prælatis indubitanter incurreret.

249. Si tamen argumentum loquatur de illis, qui proprio Prælato, teſtibus falſis, Beneficium ſe habere in ejus Diœceſi conſtare faciunt, non negamus probabilitatem antecedentis, conſequentiæ tamen inficiamur, & diſparitas in eo ſtat, quod Trident. *ſeſſio.* 21. citat. in noſtro caſu non tam exigit Beneficium, quam quod Beneficium ſe habere legitimè conſtare faciat, ibi: *Deinceps Clericus ſæcularis ad Sacros ordines non promoveatur, niſi priùs legitime conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum pacifice poſſidere.* Et quamvis Beneficium fictum titulus non ſit, ac in *cap. neminem, & cap. Sanctorum*, 70. *dict.* promotis ſine titulo ſuſpenſio ingeratur, quaſque pœnas Trident. citat. innovaverit, tamen cum Innocentius III. *in cap. cum ſecundum Apoſtolum, de Præbendis*, dictam ſuſpenſionis pœnam ab antiquis Canonibus fulminatam obliteraverit, ea tantum contentus pœna, quod Epiſcopus promovens ad ordines ſacros ſine titulo, promoto alimenta tribuere teneretur, cum poſtea Tridentinum pœnas antiquorum Canonum innovavit, hac moderatione innovaſſe cenſendum eſt: unde fit, quod promotus Beneficio ficto, in caſu dicto, ſuſpenſionem probabiliter non incurrit.

At

At in noſtro caſu præſens Conſtitutio ex dictis *n.*247. non ſolum expoſcit quod Titius juramento affirmet ſe vere animum habere, ſed quod hujuſmodi animum habeat, expoſcit, unde non tenet paritas.

250. Ad ſecundum exemplum ex ficta proteſtatione deſumptum, conceſſo antecedenti, negatur conſequentia, & diſparitas eſt, quod in Canone *Prælatis* citato, & in ejus verbis *vindictam non intendat*, eo tenditur, ut actum vindictæ externum ea pœna puniat, non vero internum, cujus ratio eſt, nam legis ſcopus in eo Canone eſt, quod Eccleſiaſticus accuſator ſua accuſatione non influat proximè & de per ſe in mortem, mutilationemve accuſati, cumque animo interno minimè influat, nam ut optimè explicat P. Givalinus citat. nemo cauſa eſt effectus per media, quæ applicare deſiderat, ſed per media quæ effectivè applicat, hinc eſt, quod licèt accuſator vindictam interius intendat, at cum exterius, unde Judex ad condemnationem accuſati movetur, proteſtetur vindictam non intendere, ſicut præmiſſa hac proteſtatione legi ſatisfacit, ſic ab ejus pœnis liberatur. Cæterum cum in noſtro caſu præſens Conſtitutio à Titio exigat animum verum, exigit enim domicilium, quod ſine vero animo ſtare nequit, hocque careat, ut ſupponitur, nec legem explet, nec ab ejus pœnis liberari poterit.

251. Nec obſtat, quod animus eſt actus pure internus, quoſque Eccleſia præcipere non intendit: ergo non poteſt Titio præcipere, quod habeat animum internum permanendi in eo loco. Reſpondeo Eccleſiam de facto præcipere actus internos indirectè, quandò ſcilicet actus externus imperatus fieri nequit ſine interno: ſic præcipiendo Titio, quod Romam vadat, indirectè præcipit actum internum imperantem, ſine quo exterior itineris imperatus ſtare nequit. Sic dicimus, Sanctiſſimus Innocentius in præſenti Conſtitutione domicilium, quod, quid externum eſt præcepit; quia tamen domicilium ſine vero animo permanendi perpetuò in eo loco ſtare nequit, indirectè ſaltem animum hujuſmodi præcipit, hocque ſufficit, ut eo deficiente, domicilium in foro conſcientiæ non acquiratur, nec eo titulo ad ordines promoveri valeat, quia domicilium in foro exteriori tantum, cum non ſit vere domicilium, titulum ad ordines nō tribuit.

252. Ad

252. Ad tertium deſumptum ex rebaptiſmo ſimulato, negatur antecedens, ut enim docent Enriqnez *lib.* 14. *cap.* 4. *n.* 4. *lit.* O. Givalinus ſupra *cap.* 5. *quæſt.* 1. *n.* 10. cum Eximio Suarez, & aliis, qui fictè baptizatur irregularitatem non incurrit, oportebat enim quod verè reciperet, attentaretque ſuſcipere verum Baptiſmum cum intentione recipiendi, aut credendo, quod poſſet duo Baptiſma verè recipere, quodque non contingit in eo, qui fictè, aut ſimulatè ſe rebaptizat, deficit enim ipſi intentio, vel credibilitas dicta, qua deficiente non eſt actus rebaptiſmi conſummatus, ſolumque actui peccaminoſo conſummato annexæ ſunt Cenſuræ, irregularitates, aliæque pœnæ, ut cum multis docet Givalinus citatus.

DUBIUM IX. *Secundus, ac tertius ſenſus propoſitæ Difficultatis diſolvitur.*

253. Circa II. Senſum difficultatis ſupra *n.* 240. expreſſum, an ſcilicèt, qui ad aliam Diœceſim domicilium tranſtulit vero animo inibi perpetuò permanendi, ſed tamen tempore quo juramentum præſtat, animum mutavit, an inquam in hoc caſu, eo ficto juramento domicilium inhibi ad ordines acquirat, pars affirmativa non videtur improbabilis: expleret etenim, quidquid præſenti Conſtitutione pro ſimili domicilio acquirendo expoſcitur: ergo acquirere dicendum eſt. Probatur antecedens; nam in primis dum habitationem ad dictum locum tranſtulit, animum habuit verum inibi perpetuò permanendi, ut ſupponitur, quoque domicilium adquiritur, deinde in eodem loco permanſit vel per decennium, vel ſaltem pro aliquo tempore conſiderabili, ſic enim procedit quæſtio, ac tandem jure jurando affirmavit, ſe vere & realiter hujuſmodi animum habere: ergo quidquid præſenti Conſtitutione pro ſimili domicilio acquirendo expoſcitur, explevit: ergo & domicilium tali juramento acquiſivit: & ergo & promoveri poterit.

254. Sed dices I. Ex quo Titius in præſenti caſu animum mutavit, domicilium inibi deperdit: ergo nequit ab ejus Epiſcopo eo titulo promoveri. II. Jutamentum quod Titius præſtat, non eſt juramentum à lege intentum, hæc enim intendit juramen-

mentum verum, non falſum: ergo falſo juramento non potuit legem explere, conſequenterque, nec eo domicilium à lege pro ſuſceptione ordinum expetitum, contrahere. Nam ad I. reſpondetur negando antecedens, nam ut diximus ſupra & docet Sanchez *de Matrimon. lib.* 3. *diſp.* 23. *n.* 2. comprobatque plurimis Civilibus legibus, domicilium acquiſitum, ſola animi mutatione non deperditur, neceſſe enim eſt, quod cum animo habitationem mutet. Si dicas, in noſtro caſu domicilium non acquiritur, quouſque Titius juret; at quando jurat, animum mutavit: ergo tali juramento domicilium ad ordines non potuit contrahere, nam ad iſtud contrahendum debebat ſimul habere, & animum inibi perpetuò habitandi, & jurare ſe hujuſmodi animum pro eo tempore habere. Reſpondetur negando conſequentiam, ejuſque probationem; præſens enim Conſtitutio ſolum præcipit, quod habeat animum prædictum, & quod juret ſe habere, quod autem hæc duo ſimul pro eodem tempore ſint, hoc eſt, quod quando jurat, verum animum habeat, non præcipit, ut ex ejus verbis patet.

255. Ad II. reſpondetur, præſentem Conſtitutionem expoſcere juramentum verum, prout ly *verum* opponitur ficto, id eſt quod vere, non ficte juret de tali animo, quodque jàm facit, ut ſupponitur, nam ut dubio antecedenti diximus, aliud eſt verè jurare, aliud de objecto vero: Titius enim in noſtro caſu verè jurat, licèt non de objecto vero, ideo falſo jurat, ly *falſo* cadendo ſupra objectum juramenti, non tamen ſupra juramentum: unde tali juramento legi ſatisfaciet. Ad illud de intentione legis, reſpondetur, aliud eſſe quod leges intendunt, aliud quod præcipiunt: leges enim poſitivæ malum vitari ſemper intendunt, ſed non ſemper prohibent pœnis, ut de Eccleſiaſtico cum animo interno vindictæ accuſante, diximus ſupra: certum, enim eſt citatum Canonem intendere internam vindictam vitare, hanc tamen irregularitate non punit.

256. Sed licèt hæc probabilia appareant, maximè reſpectu incurſus pœnarum, contrarium tamen veriùs eſt, ac tenendum: ſatis enim apertè præſens Conſtitutio expoſcit, quod quando juramentum præſtatur à Titio in noſtro caſu, debet Titius habere animum (& non tantum jurare ſe habere) inibi perpetuò

permanendi; intentum enim Sanctiſſimi Innocentii eſt, juramento animum firmare ad fraudes vitandas: ergo non potuit de ejus mente eſſe, quod juramentum ſepararetur ab animo vero, non enim tunc animum ſirmaret. Undè quando præſens Conſtitutio in noſtro caſu domicilium conſtitui petit, animum verum petit; quando autem permanentiam per decennium, vel per conſiderabile tempus expoſcit, ad manifeſtandum animum expoſcit, ac tandem quando juramentum addit promotiori firmitate animi, ejuſque manifeſtatione, addit. Si tamen poſtquam de vero animo ibi permanendi falſò juravit, animum mutaverit, & inibi permanere perpetuò decreverit, verum domicilium ibi contrahet, explet enim quidquid præſenti Conſtitutione indicitur.

257. Circa tertium ſenſum dicendum, eum qui ad aliam Diœceſim, animo in ea perpetuo commorandi, habitationem mutavit; ac in eo animo perſeverando, juramentum præſtitit, cæpitque promoveri, licèt poſteà animum mutet, continuare in ſuſcipiendo ulteriores ordines valet, etiam ſi de novo juramentum ab eo exigatur; falſoque juret. Probatur I. pars; nam ſemel expletis conditionibus, quas præſens Conſtitutio pro acquirendo domicilio ad ordines; expoſcit, domicilium eo ipſo ad hunc effectum acquiritur: at domicilium quod ſemel in uno loco acquiritur, ſola animi mutatione non perditur, ut in terminis Sacramenti ordinis docet Sanchez citat. *n.* 16. ibi: *Si alienigena ſe transferat in aliquam Diœceſim animo habitandi perpetuò, ceperitque habitare eo animo, quamvis ſtatim mutet animum, poſſe ad ordines promoveri ab Epiſcopo illius Diœceſis: Quia ſemel acquiſitum domicilium animo, & facto, non potuit transferri & deperdi ſola animi mutatione*. Vide dicta, *n.* 254. ergo licèt in noſtro caſu Titius animum mutet, ſicut domicilium non deperdit, ſic non perdit jus ad ulteriores ordines ſuſcipiendos. II. pars probatur, quia ut diximus, *n.* 239. ſufficit ſemel ante ſuſceptionem primi ordinis jurare, nec requiritur, ante ſuſceptionem ſingulorum juramentum repetere: ergo ſecundum juramentum cum citrà legem ſit, ſive verum, ſive falſum ſit, actum non vitiabit: ergo & pœnas præſentis Conſtitutionis in præſenti caſu Titius evadet.

258. Si-

258. Similiter dictas pœnas effugiet qui illegitimo titulo ad ordines promovetur, dummodo alio titulo legitimo ad eos poſſit promoveri. V.G. Titius non habens domicilium in aliqua Diœceſi juxta præſentem Conſtitutionem, titulo domicilii perperam acquiſiti ſe facit ad ordines ab ejus Epiſcopo promovere, aliàs tamen ipſe Titius originarius erat ipſius Diœceſis, quodque Titius vel ignorabat, vel maluit titulum domicilii uſurpare, dicimus, quod in hoc caſu, licèt titulo domicilii, quod verè non habet, promoveatur, pœnas præſentis Conſtitutionis evadet, nam dictæ pœnæ fulminantur, ne Prælati alienos ſubditos promoveant, & ne ſubditi proprios Prælatos effugiant, quod in præſenti non contingit, licèt enim Titius titulo domicilii non ſit proprius ſubditus talis Prælati, titulo tamen originis ejus proprius ſubditus eſt, quodque ſufficit, ut pœnas evadat.

DUBIUM X. *An licite juret, qui Reſtrictione, ſcilicèt, quod in eo loco permanebit, quouſque alius commodior non ſe offerat, jurat.*

259. EXemplum eſt in eo qui à Principe V.G. ad officium Senatoris, Gubernatoris, & ſimilium opitulatur, quæ quidem perpetua ſunt, ac ab illo acceptantur eo animo, ut in loco, ubi dicta officia exercere parat, perpetuò permanebit, niſi ab eodem, aliove Principe ad commodiorem evehatur: Quo animo permanente, & poſtquam per decennium, vel conſiderabile tempus in loco ſui perpetui officii habitabit, ad ordines promoveri deſiderat, ad quos juramento non præmiſſo, ex præſentis Conſtitutionis decreto, nequit aſcendere, ſupponimus enim dictum Senatorem non eſſe ejus Loci originarium; quæritur, an dicta reſtrictione licitè jurare valeat, ſe animum perpetuò habitandi in eodem loco habere.

260. Supponendum eſt, quod ille qui admittit perpetuum officium Senatoris V.G. domicilium contrahit in eo loco ubi prædictum officium exercet. Barboſa *allegat.* 4. *n.* 34. Palao *p.* 4. *tr.* 17. *diſp. unica punct.* 15. *n.* 4. Gobat. *tract.* 8. *caſ.* 7. *n.* 292. & ratio eſt; quia qui officium perpetuum admiſit, eo quod

ad ipſum ſerviendum ſe accingat, animum inibi perpetuò permanendi manifeſtat, nihilque amplius domicilium ex ſe expoſcit; quodque Pax Jordanus verum putat, non ſolum de Senatoribus, verum & de ad vitam in aliquo loco relegatis; loco enim ſæpe citato, *num.* 67. ait: *Non ſolum Senatores, qui perpetuò alicui loco adſcribuntur, verum relegat: ad vitam in aliquo loco cenſentur ibi acquirere domicilium neceſſarium ad ordines, leg. filii libertorum, §. relegatus, ff. ad municip.* Quod ad relegatum etiam ad tempus extendit Barboſa, *alleg.* 4. *n.* 35. eo quod *d. lex filii* domicilium neceſſarium relegatis interim, quod in loco ſuæ relegationis ſunt, concedit, quodque propter filios relegatorum notandum. Vide citat. Barboſam. Ubi relegationem temporaneam cum animo ſufficienti ad inibi domicilium contrahendum ſubtiliter componit, quia tamen præſentis Cònſtitutionis Decreto, juramentum addendum eſt, ut quis domicilium ad ordines contraxiſſe cenſeatur, in dubium vertitur, num cum prędicta reſtrictione juramentum præſtare licitè valeat.

261. Affirmativè reſpondetur; leges enim quando animum perpetuò habitandi in loco, ad domicilium inibi contrahendum, expoſcunt, non excludunt has & ſimiles moderationes, ſcilicèt, dum alia commodior, vel ſanior non ſe offerat habitatio, & colligitur *ex textu in leg. Cives, Cod. de incolis, lib.* 10. Quis enim dicet, hanc reſtrictionem, *niſi ſanitati officiat*, deſtruere perpetuitatem animi permanendi in aliquo loco: ergo nec hæc alia, dummodo alia commodior occupatio non ſe offerat, & ita docent Auctores citati, Barboſa, *n.* 26. Palao, *n.* 3. quibus adde Riccium *in Praxi fori Eccleſiaſt. reſolut.* 263. *Navarrum conſil.* 10. *alias* 2. *de temporibus ordinat.* Laymanum in *Summa lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 9. *in fine.* Ergo licitè in noſtro caſu prædictus Senator jurare poterit, etiam cum ante dicta reſtrictione.

DUBIUM XI. *An pro domicilio ad ordines acquirendo, ſufficiat animum in eo locò perpetuò permanendi, pro tempore juramenti, habere, licèt pro antecedenti non habuerit.*

262. PRæſenti Cnnſtitutione ſtabilitur, quod ut quis in aliena Diœceſi domicilium ad ordines contrahat, debet inibi

inibi per conſiderabile tempus vel per decennium permanere, animo ſe in eo loco perpetuandi, poſteaque juramentum de tali animo præſtare. Diſputatur nunc, an Titius qui in aliena Diœceſi habitationem elegit, in eaque per decennium inhabitabit, ſine animo tamen perpetuò inibi permanendi, expleto autem decennio, animum mutavit, & ibi ſtabiliter ſedem ſuam figere decernit, juratque de tali animo; proficiet ne Titio decennium decurſum, ut domicilium inibi ad ordines acquirat, an aliud incipere, explereque teneatur.

263. Sufficit decurſum, nec opus eſt novum decennium incipere, explereque. Pro quo notandum, quod in his, quæ à curſu temporis pendent, aliquando retroaſpicitur initium, aliquando tamen exitus expectatur: expectatur exitus, cum vitium conſiſtit in animo, juxta celebrem diſpſitionem *cap. commiſſa*, *§. cæterum*, *de elect. in 6.* ubi decernitur, quod recipiens Eccleſiam Parochialem, non ut intra annum ordines ſuſcipiat, ſed ut fructus percipiat, tenetur fructus totius anni reſtituere, niſi voluntate mutata, promotus fuerit: ex qua diſpoſitione conſtat, quod ſi circa anni finem voluntatem mutet, fraudes temporis antecedentis purgat, & ad initium anni retrotrahitur, ut fructus ei correſpondentes poſteriori mutatione faciat ſuos, eo quod vitium hoc in caſu in animo conſiſtebat, & quando vitium conſiſtit in animo, exitus expectatur, ut explicat Gloſ. *C. cap. v. mutata.* E contra ratiocinatur, quando vitium in animo non conſiſtit, ex eleganti textus diſpoſitione *in cap. ſi eo tempore, de reſcriptis, in 6.* ubi cum Titius minor 25. annis gratioſas à Sede Apoſtolica litteras impetraret ad obtinendam Eccleſiã cum Cura, vel ſine illa, tunc fortè vacantem, vel de proximo vacaturam, accidit, quod Parochialis vacavit, tempore, quo idem Titius legitimam habebat ætatem, & nihilominus citato in textu deciditur, quod ad illam nullum jus habebat, quia tempore quo literas obtinuit, incapax erat ad Eccleſiam Parochialẽ obtinendam, & cum hic defectus in animo non conſiſteret, ad initium temporis attenditur, nec exitus expectatur, Gloſ. *l. c. & in c. dudum. el 1. de elect. V. electionis tempore*. His ſuppoſitis.

264. Liquet noſtrum aſſertum, nam cum in noſtro caſu defectus, ſeu vitium conſiſtat in animo, eo quod cum animum tenere-

neretur Titius habere ad domicilium inibi contrahendum, & non habuerit, vitium in animo ſtetit; at quando vitium conſiſtit in animo, non attenditur ad temporis initium, ſed exitus expectatur, *ex citat. cap. commiſſa:* idem ergo in noſtro caſu dicendum, quod ſi Titius circa finem decennii, vel eo peracto, voluntatem mutaverit, decernatque in eo loco perpetuò permanere, illa animi poſterior mutatio ad tempus antecedens retrotrahitur, pro domicilio ad ordines acquirendo, ejuſque fraudes purgabit. Idem, ac potiori jure dicendum, caſu quo idem Titius in eo loco habitationem animo inibi perpetuò commorandi, inciperet, poſteà tamen animum mutaret, ac tandem ante juramentum novum animum de inibi perpetuò permanendi iterum conciperet, tum ex immediate dictis, tum quia domicilium ſemel acquiſitum ſola animi mutatione non deperditur, ex dictis *n.* 257.

265. Doctrina hæc militat, & intelligenda venit, quando ex circunſtatiis apparet, ſe in eo loco animum contrahendi domicilium habere, vel ſaltem non eſt fundamentum ad contrarium præſumendum; ſecus ſi contrarium manifeſtè appareat: unde Scholares, & alii de quibus *n.* 266. quando ſtudiorum, aut ſerviendi cauſa ad alienam Diœceſim ſe transferunt, licèt per decennium inibi inhabitent, domicilium non acquirent, nec ſi poſt decennium decurſum auimum mutent, decurſum decennium ipſis proficiet, quia præſumptionem Juris contra ſe habent, & cum hæc in animo non conſiſtat, mutatione animi poſteriori illam nequeunt purgare: Quare in Scholaribus, & famulis, qui Juris cenſura, tempore quo in ſtudiis, & famulatu detinentur, domicilium non acquirunt, tunc decennium ad domicilium pro ordinibus contrahendum, incipiet currere, quando ceſſando jam contraria Juris præſumptio, verbis, vel aliis ſignis explicant ſe in eo loco perpetuò habitare velle, & non antea. Barboſa, *Allegat.* 4. *n.* 28. *&* 29.

266. Infertur hinc, illum qui in aliena Diœceſi per decennium inhabitavit, nec recordatur an inibi venerit animo domicilium, contrahendi, nec ne, aut quando primo intravit, de domicilio contrahendo nihil cogitavit, & ita per decennium continuavit, decennium ita decurſum pro firmando ad ordines domicilio

cilio proficiet, dummodo circa finem decennii, vel eo peracto verum animum de inibi perpetuò domiciliũ firmando habuerint; tum quia ſi decennium decurſum cum carentia talis animi interiori, ſufficit ad firmandum pro ordinibus domicilium ex dictis *n. 263.* quanto magis proficiet cum ignorantia, dubio, aut inadvertentia de tali animo, tũ quia, ut docent Menochius *de arbitr. Jud. cent. 2. caſ. 86. n.* 11. Farinatius *in praxi crimin. V. domicilium, n.* 204. Pax Jordanus, *n. 57. Gobat. cit. n. 292.* quando non conſtat de certa animi declaratione per verba, recurritur ad conjecturas, inter quas eſt hæc receptiſſima, ſi quis decẽ annis alicubi habitavit, præſumitur enim in dubio voluiſſe ibi figere ſedem perpetuam; quare in hoc caſu, dummodo verum animum habeat permanendi perpetuò in eo loco, præſtare juramentum poterit, ſicque ad ordines titulo domicilii promoveri. Secus dicendum, quando quis ad alienam Diœceſim venit, etiam ſi cum tota ſua ſubſtantia veniat, in eaque per mille annos commoretur, prius, tamen declaravit, ſe in ea domicilium contrahere non intendere, domicilium enim nullatenus inibi contrahet. Gobat. *n. 296.*

Qui n. 292. optime notat, non ſufficere pro firmando ad ordines domicilio tempus longius decennio, quando adſunt indi-tia excludentia præſumptionem domicilium inibi contrahendi, quod regulariter contingit in Scholaribus, famulis, conſanguineis Clericorum obtinentium beneficium curatum, vel ſimplex in aliena Diœceſi, ſecumque deferunt ut in loco beneficii omnes inhabitent; hii namque conſanguinei, vel affines, niſi animum explicent, velle ſe in eo loco perpetuò commorare, ac domum vel alia bona immobilia inibi comparent, quæque dictum animum manifeſtent, domicilium in eo loco contrahere non præſumitur; potius enim præſumitur, quod mortuo, vel amoto Clerico conſanguineo, ad proprium ſolum, aut alibi remanebũt: unde ab Epiſcopo dicti Loci titulo domicilii, ad ordines promoveri non poterunt, eſto ultra decennium inibi vixerint, Excipe, niſi conſanguineus Clerici fuerit ejus legitimus filius, hic enim dum domicilium non eligit, patremque ſequitur, patris gaudet domicilio. Jordanus *n.* 49. Nec quod pater Clericus ſit, officit, nullum enim Jus vetat, ne domicilium patris Clerici, ſit legitimi ſui filii domicilium; immo infavorabilibus gaudet filius privile-

vilegiis patris ſui Clerici. Covarrubias *in cap. quia nos de teſtament. n.5.* Pichardus *lib.1. Inſtit. tit.12. §.& quidem fin. n.9* Non ſic fratres, nepotes, aut patrueles; hii enim fratrum, avunculorum, vel patruum, eſto ſimul commorentur, domicilio non gaudent, quia non cenſetur eadẽ perſona, ſicut cenſentur pater, & filius, maritus, & uxor, *ex c. is qui C. licet de ſepulturis in 6.*

267. Major difficultas apparet, quando in eodem loco duplex extat Juriſdictio, V. G. in Civitate Cæſarauguſtana, in qua Parochialis S. Engratidis ad Diœceſim pertinet Oſcenſem, cæteræ autem ad Cæſarauguſtanam: ſi enim Titius dictam Civitatem appulit, ut in ea domicilium contrahat, & decennium jam in domo juriſdictionis Oſcenſis, jam Cæſarauguſtanæ tranſigat, quod in prædicta Civitate frequentiſſime contingit, decennium ſic expletum proficiet, ut à Domino Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, vel Oſcenſi Epiſcopo ad ordines Titius promoveatur.

268. Reſpondetur, quod cum domicilium principaliter pendeat ab animo, ut docent communiter DD. illius Diœceſis erit Titius in præſenti caſu ſubditus domicilii ad ordines, ubi verum animum habuit domicilium contrahendi; mutatio enim illa de una Diœceſi ad aliam intra eamdem Civitatem, non eſt formalis, hoc eſt, non eſt cum animo mutandi Diœceſim, ſed materialis dumtaxat, eſt ob majorem ſcilicet commoditatem; unde ſemper retinet domicilium in ea Diœceſi ubi animum domicilium contrahendi habet: Nec obſtat, quod traductus Titius in domum Diœceſis Oſcenſis V. G. nequit D. Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus perſpectos ejus habere mores; nam ut eos perſpectos habere præſumatur, ſufficit quod tam proximè Diœceſi Cæſarauguſtanæ degat, ut in ſimili de familiari non longe ab habitatione ſui Domini Epiſcopi degente, docet Pax Jordanus infra *n. 37. verſ. Infertur 3. citando*. Si tamen de animo, ubi domicilium contrahere voluit, dubitetur, præſumitur in Diœceſi Cæſarauguſtana figere voluiſſe; nam in civitate Cæſarauguſtana domicilium contrahere voluit: ergo cum fere tota Civitas Diœceſis ſit Cæſarauguſtanæ, in hac domicilium contrahere præſumendum eſt.

269. An autem decennium, quod in præſenti Conſtitutio-

ne

ne præſcribitur, debeat eſſe completum, & continuum, reſpondetur breviter debere I. eſſe completum, ſic enim indicant ea verba *vel per decennium ſaltem in eo habitando, &c.* hoc eſt, quod per decennium ad minus debet eo in loco habitari. Debet etiam eſſe continuum, quia cum decennium ſtatutum ſit ad manifeſtandum animum, inibi perpetuò permanendi, & intercadentiæ prædictum animum non manifeſtent, immo contrarium deferant, hinc eſt quod decennium completum eſſe debet; ſed notandum eſt, quod intercadentiæ dictæ intelligendæ ſunt, dum intra decennium jam in una Diœceſi, jam in alia domicilium contrahitur; ſi enim ſemel domicilio contracto in una Diœceſi, ad aliam ſe divertat, animo redeundi ad primam, tunc, & ſi multo tempore ab iſta abſit, non officit quo minus in ea domicilium ad ordines, aliis circunſtantiis expletis, contrahat.

## DUBIUM XII. *De ætate requiſita, ut ordinandus Teſtimonialibus egeat.*

270. DUplici in caſu Sanctiſſimus Innocentius in præſenti Conſtitutione ordinando præcipit, litteras Teſtimoniales Epiſcopo ordinanti præſentare, ea ſolummodo conditione, quod ordinandus ad eam ætatem pervenerit, qua potuerit aliquo Canonico impedimento irretiri: Primus eſt cū ordinādus natus eſt ex accidenti in aliquo loco, in eoq; detinetur uſque ad eam ætatem, qua potuerit Canonico aliquo impedimento ligari. Secundus, cum à loco propriæ originis ad alium, ut in iſto domicilium contrahat, diſcedit, ſi in prædicta ætate diſceſſerit: In his igitur caſibus tenetur ordinandus litteras Teſtimoniales ab Ordinario caſualis ortus, ac proprię originis reſpectivè obtinere, Epiſcopoque ordinanti præſentare, quod conſtat ex verbis relatis tū *n.* 96. tum *n.* 192. Cùm ergo Sanctiſſimus in his diſpoſitionibus ætatem petat, nec tamen determinat, in præſenti diſcutiemus, qualis ſufficiat, ut præſēti diſpoſitioni utroq; caſu ſubjaceat.

271. Sed adnotandum eſt I. quod ut ordinandus prædictæ diſpoſitioni ſubjaceat, ſufficit, quod potuerit alicui impedimento ſubiici, nec requiritur quod effective ipſum incurrerit, id enim denotat verbum *potuerit* utraque in diſpoſitioni inſertum.

272. Adnotandum II. Quod ut ordinandus prædictis diſpoſitionibus ſubjaceat opus non eſt ad eam ætatem pervenire, qua poſſit in omnia impedimenta Canonica incurrere, ſufficit enim ad illam perveniſſe, qua potuerit unico dumtaxat impedimento ligari: Lex namque ideo expreſſit, *quod potuerit alicui impedimento*, & non omnibus, *obnoxius effici*. Quodque adnotatur, propter varietatem, quæ in hoc puncto apud Auctores invenitur, alii enim prætendunt, quod ante pubertatem cenſuræ minimè ligant, alii abſolutè affirmant; alii aliquas cenſuras, & pœnas ligare contendunt ante pubertatem, aliàs autem negant. Nobis de his in præſenti non attinet, ſed dumtaxat inveſtigare, quæ ætas ſit capax incurrendi aliquod Canonicum impedimentum, ex mente Sacrorum Canonum, quodque ad ordines ſuſcipiendos obſtet, hoc enim adinvento, abs dubio in ea ætate prædicta Teſtimonialia ordinandus obtinere tenebitur.

273. Reſpondetur igitur, quod expletis infantiæ annis, qui, completo ſeptennio, explentur, ut colligitur ex Gloſ. *cap. cum nullus, de temporibus ordinat. in* 6. tenetur ordinandus, qui à prædictis Locis diſceſſit, ab eorum Ordinariis prædictas litteras Teſtimoniales reſpectivè obtinere, ac Epiſcopo ordinanti præſentare. Omiſſis aliis, probatur I. *ex cap. fin. de ſententia excommunicat.* ubi ſic legitur: *Pueris, qui in Canonem inciderunt ſententiæ promulgatæ, ſive ante, ſive poſt pubertatem poſtulent ſe abſolvi, poteſt Diœceſanus Epiſcopus abſolutionis beneficium impertiri.* Ubi notanda ſunt verba *ante pubertatem*, quæ indicant, quod puer ante pubertatem puniri poteſt excommunicatione promulgata in Canone *ſi quis ſuadente diabolo* contra Clericorum percuſſores, ut cum Gloſ. *in d. cap. fin.* docet Barboſa ibi, cum aliis: At puer ante pubertatem dicitur eſſe, annis infantiæ expletis, qui completo ſeptennio explentur: ergo in ea ætate capax eſt, ut impedimento Canonico ligetur: ergo & in ea ætate prædicta Teſtimonialia obtinere tenebitur.

274. Probatur II. *Ex Clementina ſi furioſus, de homicidio voluntario*, ibi: *Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, ſeu occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrat.* ergo expleta infantia puer, qui occiderit, irregularitatem incurret, Patet conſequentia, nam ſi infantia expleta, adhuc puer occidens,

vel

vel mutilans irregularitati non ſubjacet, fruſtra præcitatus Canon infantiam ſolam excluſit. Modo ſic: Litteræ Teſtimoniales obtinendæ ſunt ab ordinando, juxta præſentem Conſtitutionem, quando capax eſt contrahendi impedimentum obſtans ordinum promotioni; at excomunicatio, irregularitaſve impedimenta ſunt Canonica, dictæ promotioni obſtantia, ac item pueri, infantia expleta, capaces ſunt ipſis impedimentis ligari, ut ex præcitatis Canonibus patet: ergo in caſu in quo ordinandus diſceſſerit è loco ſui caſualis ortus, vel ſuæ originis, ut alibi domicilium contrahat, expleta infantia, vel ſeptenio, ab Ordinariis utriuſque Loci Teſtimoniales litreras obtinere reſpectivè tenebitur, ſi ad ordines aſcendere voluerit.

275. Quod pueri ante pubertatem, & doli capaces, omnes, & ſingulas cenſuras tam à jure quam ab homine incurrant, eſt Canoniſtarum communior mens, ſicut & Theologorum cum Suario citato à P. Dicaſtillo *diſp.* 1. *n.* 232. vide Mendum *in Epitome. V. Cenſura, n.* 11. immò Navarro *conſil.* 27. *n.* 230. addit; quod irregularitas, de qua in ante dicta Clementina *ſi furioſus*, incurritur à pueris ante ſeptenium, ſi in ipſis malitia ſuppleat ætatem.

276. Ex his conſtat, quod prædictæ litteræ Teſtimoniales obtinendæ dumtaxat ſunt ab ordinando, quando explet ſeptenium in loco ſui caſualis ortus, vel quando à loco ſuæ propriæ originis, expleto itidem ſeptenio, diſceſſerit, etiam ſi ab hoc loco cum Patre, qui alibi domicilium cotrahere parat, diſcedat, quia jam à loco ſuæ originis, in ea ætate, qua potuit impedimento Canonico ligari, diſceſſit, ac præſens Conſtitutio in hoc caſu nihil amplius exigit, nec diſtinguit, an diſceſſus ab eo loco debeat eſſe propria voluntate ordinandi, an Patris voluntate, & quod lex non diſtinxit, nec nos diſtinguere debemus.

277. Unde infertur I. Quod quando ordinandus diſcedit à loco, è quo orginarius ad ordines non eſt, ut alibi domicilium contrahat, non tenetur præcitata Teſtimonialia obtinere ab Ordinario Loci à quo diſceſſit, quia ut ſupponitur non eſt locus ſuæ originis, præſenſque Conſtitutio verbis ſupra *n.* 192. relatis, pro caſu quo ordinandus à loco propriæ originis diſceſſerit (ſeptenio expleto juxta dicta) prædicta Teſtimonialia expoſcit, ergo in alio caſu obligandus non eſt.

278. Nota, quod in præſenti, nomine Loci intelligitur Diœceſis tota, ex ſæpe dictis: Unde ſi Titius eſt originarius unius oppidi, & ſeptenio expleto ad alium oppidum ejuſdem Diœceſis diſceſſit, & ab iſto ad alium diverſæ Diœceſis, ut in ea domicilium contrahat, diſcedit, tenetur ab Ordinario ſuæ originis Teſtimoniales litteras obtinere, ſi in loco novi domicilii ad ordines promoveri voluerit; quia licèt non diſceſſerit à loco numerico ſuæ originis, diſcedit tamen à Diœceſi, quæ nomine Loci intelligitur, ex ſæpe dictis in præſenti.

279. Infertur II. Quod ſi Titius à loco ſuæ originis diſceſſit ad aliam Diœceſim, in hacque domicilium ad ordines contrahat, maluerit tamen ab Epiſcopo ſuæ originis, ſicut poteſt, ordines ſuſcipere, non tenetur ab Ordinario Loci novi dicti domicilii Teſtimoniales litteras obtinere: præſenti enim Conſtitutione ſolummodo obligatur ad obtinendas Teſtimoniales ab Ordinario originis, quando promovendus eſt ab Epiſcopo domicilii in alia Diœceſi obtenti, non è contra: ergo nec in hoc caſu obligandus erit.

280. III. Quod ſi Titius è loco ſui caſualis ortus, expleto ſeptenio, diſceſſerit ad Diœceſim ſuæ originis, in eaque per aliquod tempus habitaverit, ſive domicilium in ea contrahendo, ſive non, ac poſtea à loco ſuæ propriæ originis alibi diſceſſerit, ut illic domicilium contrahat, ab utroque Ordinario, ſui caſualis ortus ſcilicèt, ac propriæ originis litteras Teſtimoniales obtinere tenebitur, ut ab Epiſcopo novi domicilii promoveatur, quod ex præſentis Conſtitutionis diſpoſitione conſtat, verbis tum *n.* 96. tum *n.* 192. relatis: ſi tamen è loco ſui caſualis ortus ad aliam Diœceſim, quæ ſuæ originis non eſt, domicilium mutet, ab Epiſcopoque hujus domicilii promoveri voluerit, non tenetur litteras Teſtimoniales ab Ordinario ſuæ originis obtinere, quia ut dictum domicilium in ea Diœceſi contraheret, à loco ſuæ originis non diſceſſit, ab hocque diſcedere debebat, ut obtentioni prædictarum Teſtimonialium litterarum obligetur, ut ex præcitatis verbis *n.* 192. conſtat. Unde ſicut in quovis caſu, quo verum ſit, quod Titius è loco ſuæ propriæ orignis, ſeptenio expleto, diſceſſit, ab ejus Ordinario litteras Teſtimoniales obtinere tenetur, ſic non tenetur, quando verum eſt,

nul-

nullo modo à loco ſuæ originis diſceſſiſſe, aut quod ante ſeptenium expletum diſceſſiſſe, compertum eſt: niſi Epiſcopo ratione ſolummodo beneficii ſubjiciatur, de quo infra *n.* 284.

## DUBIUM XIII. *De litteris teſtimonialibus Epiſcopo Beneficii præſentandis.*

281. Licèt materia præſentis dubii ad titulum de Beneficio potius expectare videatur, quia tamen omnes titulos tranſcendit, ideo ad calcem iſtius, quæ aliàs diſperſa ſunt, conducendo, ſermonem inſtituimus. Et in primis dicendum, eum qui titulo Beneficii in aliena Diœceſi obtenti, ab hujus Epiſcopoque promoveri voluerit, teneri obtinere Teſtimoniales litteras à proprio Epiſcopo tum originis, tum domicilii, quod ex verbis ſupra *n.* 2. relatis, conſtat. Tenetur inſuper eaſdem litteras Epiſcopo Beneficii præſentare, ab Ordinarioque caſualis ortus emanatas, caſu quo ex accidenti natus fuerit, ac in loco ſui fortuiti ortus uſque ad ſeptenium completum detineatur, quia in prædicto caſu tenetur hujuſmodi litteras obtinere, ac Epiſcopo ordinanti præſentare; at Epiſcopus Beneficii, quique hoc titulo promovet, Epiſcopus ordinans eſt: ergo & ipſi prædictas litteras præſentare tenetur.

282. II. Dicendum, quod Familiaris Epiſcopi, alienæ Diœceſis ſubditus, ſufficit ſi ſuo Domino, ipſum titulo Familiaritatis promovere volenti, præſentet litteras Teſtimoniales ſui proprii Epiſcopi originis, aut Domicilii, nec eget utriuſque ſimul, quod patet ex verbis infra *n.* 292. referendis, in quibus eſt particula *vel*, quæ diſiunctiva eſt: ergo ſufficiet ſi unius, vel alterius proprii Epiſcopi, prædictus Familiaris Domino ſuo Epiſcopo præcitatas litteras præſentet: ſi tamen natus fuerit ex accidenti in aliquo loco, etiam ab ejus Ordinario, hujuſmodi litteras obtinere, & præſentare tenebitur, ob rationem numero antecedenti datam: Neutiquam tamen obligandus videtur ad obtinendas litteras Teſtimoniales, quæ in periodo præſentis Conſtitutionis *n.* 192. recitato, præcipiuntur, quia ibi, ut ex contextu conſtat, ſermo eſt de illo, qui à loco ſuæ originis ad alium diſcedit, ut in iſto domicilium contrahat, eoque titulo promoveri vult; non

vero de illo qui ad alium Epiſcopum, ut ei tamquam Familiaris inſerviat, confugit, tituloque Familiaritatis promovetur.

283. Tertio dicendum, quod ſubditus ratione ſolius Beneficii in aliena Diœceſi obtenti, quique in aliis diverſis Diœceſibus domicilium contraxit, ſufficit Epiſcopi noviſſimi domicilii prædictas litteras Epiſcopo Beneficii præſentare, nec opus eſt ab omnibus obtinere, ac præſenrare; quia ex quo aliorum locorum domiciliũ amiſit, jam proprii Epiſcopi ordinandi deſinunt eſſe; ergo non eget Teſtimonialibus eorũ, quæ ſolum à proprio Epiſcopo originis, & domicilii præſenti Conſtitutione expetuntur.

284. Dicendum IV. Doctrinam datam ſupra *n.*280. in fine, non eſſe intelligendam cum ſubdito ratione ſolum Beneficii, hic enim tenetur ab Epiſcopo ſuæ originis prædictas litteras obtinere, ac Epiſcopo Beneficii præſentare, ſi ab iſto promoveri voluerit, etiam ſi in loco ſuæ originis unquam extiterit, nec ab eo diſceſſerit; quia in hoc caſu prædicta Teſtimonialia non tam exiguntur, ut de carentia impedimenti alicujus Canonici in promovendo conſtet, quam ut proprii Epiſcopi de promotione ſuorum ſubditorum certiorentur, hocque modo fraudes vitentur.

285. Dicendum V. Quod ſubditus ratione Beneficii dumtaxat, ſufficit ſi à ſuis propriis Epiſcopis originis ſcilicèt, ac domicilii ſemel, ac ante ſuſceptionem primi ordinis ab Epiſcopo alieno, litteras obtinuerit, nec opus eſſe, quod ante ſuſceptionem cujuſlibet ulterioris iterum ac iterũ obtineat; præſens enim Conſtitutio dumtaxat expoſcit, quod ante ordinum ſuſceptionẽ Teſtimoniales litteras à propriis Epiſcopis obtineat, hiſque ſemel obtentis ante ſuam promotionem, verum eſt, quod ante ordinum ſuſceptionem obtinuit. Limitat tamen præſentem doctrinam D. Lamperez *n.* 354. niſi ſuſcepto primo ordine ab Epiſcopo Beneficii, ad locum Epiſcopi originis, aut domicilii redat, ibique uſque ad ſequentem ordinem, vel ſaltẽ per multos menſes detineatur; in hoc enim caſu, ait, teneri à proprio Epiſcopo, ubi reſedit, denuò litteras Teſtimoniales obtinere. Vide dicta *n.* 149. *&* 239. Illud tamen ſine dubio tenendum, quod & ipſe eruditus Doctor ibidem addit, prædictas ſcilicèt litteras obtinendas, in noſtro caſu, ab omnibus, ſine exceptione perſonarum, eſto notorium ſit eis non indigere.

286. Se-

286. Sexto dicendum eſt, illum qui in aliqua Diœceſi, è qua nec originarius eſt, nec in ea domicilium contrahit, per multos annos detinetur, cauſa ſcilicèt ſtudiorum, ſervitii, aut alterius occupationis, quibus domicilium non acquiritur, non teneri litteras prædictas Teſtimoniales ab hujuſmodi Diœceſis Ordinario obtinere, Epiſcopoque ordinanti præſentare; quia nullibi in præſenti Conſtitutione id præcipitur: ergo nō eſt obligandus ad quod ipſa lex non obligat, & quia ſequeretur, quod ſi per plures Diœceſes diverſatus fuiſſet, ab omnibus earum Ordinariis prædictas litteras obtinere teneretur, cum in omnibus illis impedimentum Canonicum contrahere potuiſſet, quodque nimis durum eſſet.

287. Excipe tamen, niſi in eo loco natus fuiſſet ex accidenti, etiam ſi ante ſeptenium inde ad aliam Diœceſim tranſmigraret, poſteaque, cauſa ſtudii vel alterius occupationis ad eundem locum rediret, in hoc enim caſu teneretur prædictas litteras ab Ordinario ejus Loci obtinere, Epiſcopoque ordinanti, præſentare; nam in eo loco detentus fuit tanto temporis ſpatio ut potuerit aliquo Canonico impedimento irretiri; at in hoc caſu tenetur prædictas Teſtimoniales litteras obtinere, ut conſtat ex verbis præſentis Conſtitutionis *n.* 96. recitatis; ergo licèt in aliis caſibus non teneatur, in præſenti tenetur. Secus dicendum in caſu, quo à loco ſuæ caſualis nativitatis ante ſeptenium diſceſſiſſet, ac poſtea ad ipſum locum rediret, vel per tranſitum, vel ea modica detentione, qua verum non eſſet, quod in eo loco moram multi temporis traxerit; quia ſub hac conditione ad prædictas litteras in præſenti caſu obligatur.

288. Sed licèt ordinandus, de quo *n.* 286. obtinere prædicta Teſtimonialia, Epiſcopoque ordinanti præſentare non teneatur, Domini autem Epiſcopi optimè procedent, non promovendo, quin mediis litteris Subſidiariis informationem ab eo Ordinario Loci, in quo ordinandus per multum temporis habitavit, expoſcat, audiatque ſuam informationem, & colligitur *ex cap. ex parte tua. De ſcrutinio in ordine faciendo.*

289. Septimo dicendum eſt, illum qui in aliquo loco caſualiter natus eſt, quique originem paternam naturalem pro origine habet, ſi Pater in eo loco domicilium de Jure non contraxerit,

xerit, ſi Pater in eo loco caſualis ortus filii dictum domicilium contrahat, & ratione cujus ejuſdem Loci filius originarius eſt, iſte Epiſcopo ordinanti ſive domicilii ſit, ſive Beneficii non tenetur præſentare antedictas litteras, nec ab Ordinario paternæ naturalis originis eas obtinere: quia ex quo Pater domicilium de Jure in loco fortuiti ortus filii contraxit, originem hic contraxit, & in alio loco amiſit: ergo Epiſcopus originis paternæ jam non eſt origo filii: ergo prædictas litteras, quas ab Epiſcopo originis præſens Conſtitutio præcipit obtinere, ab illo obtinere non tenetur, quia jam non eſt originis Epiſcopus.

290. Secus dicendum, ſi ſolus filius in loco ſui caſualis ortus domicilium contrahat, nam ſemper remanet originarius Loci paternæ naturalis originis; ex quo tenetur ab Ordinario iſtius Teſtimonialia obtinere, & in omni caſu Epiſcopo Beneficii præſentare: Epiſcopo autem domicilii, ſolum pro caſu, quo à loco paternæ naturalis originis ad inibi domicilium contrahendum, diſceſſerit, quod ex dictis conſtat.

291. Octavo dicendum eſt filium natum ex accidenti in aliquo loco, tempore quo Pater domicilium habet in alio, non teneri prædictas litteras Teſtimoniales ab Ordinario Loci, in quo caſualiter ortus fuit, obtinere, Epiſcopoque ordinanti præſentare, quia ut ex dictis *n.* 107. conſtat, præſens Conſtitutio, dum de filio caſualiter nato diſponit, non comprehendit filium caſualiter natum in uno loco, Patre domicilium habente in alio, ſed dumtaxat quando Pater nullibi domicilium habet: ergo nec filium in præſenti caſu comprehendet: ergo nec tenebitur ejus diſpoſitioni ſtare.

# Titulus Familiaritatis.

SUpereſt de Familiaritate, quæ ultimus titulus ad ordines ſuſcipiendos eſt, pertractare, & licèt in Jure nulla de hoc titulo mentio fiat, lege tamen Trident. *ſeſſio.* 23. *cap.* 9. *de reformat.* firmatus extat, aliquibus interiectis conditionibus, quas quia ſiniſtrè à pluribus intelligebantur, Sanctiſſimus Innocentius, ob fraudes vitandas, utque veram intelligentiam Tridentino

tino tribueret, præſenti Conſtitutione ſequentia, per ſequentia verba, decernit.

292. *Adhæc. Nullus Epiſcopus alienæ Diœceſis ſubditum Familiarem ſuum ad aliquos ſacros, ſeu minores ordines, vel etiam Primam tonſuram promovere, ſeu ordinare præſumat, abſque ejus proprii originis, ſcilicèt, ſeu domicilii Prælati Teſtimonialibus litteris, ut ſupra, & niſi ad præſcriptum Concilii Tridentini præfati ſeſſione 28. cap. 9. de reformatione, Familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit: Beneficium inſuper, quod eſſe ad vitam ſubſtendandam, juxta modum ſuperius præfinitum, ſufficiat, quacumque fraude ceſſante, ſtatim, hoc eſt ſaltem intra terminum unius menſis à die factæ ordinationis, re ipſa illi conferat, ac in ordinationis hujuſmodi teſtimonio expreſſam itidem Familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.*

293. Quibus verbis Dominis Epiſcopis interdicitur, ne Familiares ſuos alienæ Diœceſis ſubditos, titulo Familiaritatis, ad ordines, ſeuque Primam tonſuram promoveant, non præmiſſis Teſtimonialibus Epiſcopi originis, vel domicilii eorumdem Familiarium, non utriuſque ſimul, ſed cujuſlibet, juxta dicta ſupra *n.* 282. & niſi Familiaritatem obtinuerint ad normam citati Concilii Tridentini, ac Beneficium re ipſa Familiaribus, ſaltem intra menſem, à die factæ ordinationis, conferendo. Hoc privilegio promovendi ſuos Familiares, gaudent ſolummodo Domini Epiſcopi, qui Clerum, & populum Chriſtianum habent, nec gaudent Epiſcopi Titulares, ipſis enim ſimilis poteſtas ſublata eſt à Trident. *ſeſſio. 14. cap. 2. de reformat.*

## QUÆSTIO IV.

*De facultate qua DD. Epiſcopi, quo ad ordinandos ſuos Familiares, gaudent, terminis Conſtitutionis Sanctiſſimi Innocentii XII. ſtando.*

294. DIXI *terminis præſentis Conſtitutionis ſtando*, non enim ea quæ independentia ab iſta videntur, controvertentur, cum paſſim apud Doctores diſcuſſa eruditè inveniantur,

tur, ſolumque in dubium revocabitur, quæ attenta dicta Conſtitutione difficultatem ingerunt:

DUBIUM I. *An præſens conſtitutio Familiares Cardinalium comprehendat.*

295. DOminos Cardinales, etſi Presbyteri dumtaxat ſint, facultate ſuos Familiares promovendi ad Primam tonſuram, Minoreſque ordines, gaudere, teſtantur Joannes Andræas *in cap.* 1. *de ſupplenda negligentia Prælat. n.* 14. Martin. Land. *tract. de Cardinalibus*, *quæſt.* 20. Majolus, *de irregularit. cap.* 8. Bonacina, *de Sacrament. diſp.* 8. *quæſtio unica*, *punct.* 4. *num.* 3. Barboſa ſupra *n.* 19. Palao, *part.* 4. *tract.* 17. *diſp. unica*, *punct.* 14. *num.* 3. Suppoſita ergo hac facultate, quæritur, an ut ad praxim reducere valeant dicti DD. Cardinales reſpectu ſuorum Familiarium, alienæ Diœceſis ſubditorum, egeant litteris Teſtimonialibus, ut ipſos titulo Familiaturæ promoveant, proprii Prælati originis ſcilicèt, aut domicilii, obſtrictique ſint Beneficium eiſdem conferre intra menſem, à die factæ ordinationis, juxta diſpoſitionem præſentis Conſtitutionis.

296. Reſpondetur promovere poſſe, non expectatis præcitatis Teſtimonialibus litteris, ac proinde DD. Cardinales non comprehendi ſub præſenti diſpoſitione; nam quando Conſtitutio eſt pœnalis, qualis eſt præſens Sanctiſſimi Innocentii, Cardinales non comprehendit, niſi de ipſis expreſſa fiat mentio, ut cum plurimis firmat Barboſa *Jur. univer. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 60. at in præſenti clauſula de Cardinalibus nulla fit mentio, ſicut de illis mentio fit in clauſula ſupra *num.* 1. relata: ergo præſenti diſpoſitione non comprehenduntur: ergo adhuc ea ſtante poſſunt Cardinales prædictos Familiares, titulo promoventes Familiaturæ, promovere, non expectatis Teſtimonialibus proprii Epiſcopi; nec arctati ſunt Beneficium ipſis intra menſem conferre: & quo ad hanc partem Beneficii extat Sacræ Congregationis declaratio, quam Barboſa *in Trident. ſeſſio.* 23. *cap.* 9. *de reformat. num. V.* refert *his verbis: fuit reſolutum, Cardinales ſuis Familiaribus triennalibus dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos concedere poſſe, tametſi illis, nec ante, nec ſtatim poſtea conferant*

*Bene-*

*Beneficium*. Idem dicendum de Cardinalibus, qui Epiſcopi fuerint, quia licèt præſens Conſtitutio loquatur cum Epiſcopis, non tamen cum illis loquitur, qui Cardinalatus honore fulgent.

297. Nec obſtat. I. Præſentem Conſtitutionem, ac in ejus clauſula ſupra *n.* 1. relata omnibus Epiſcopis, quibuslibetque Loci Ordinariis, etiam ſi Cardinalatus honore fulgeant, facultatem adimere promovendi ſibi non ſubdtos origine, aut domicilio ad primam Clericalem tonſuram: ergo Domini Cardinales nec ſuos Familiares ſibi non ſubditos promovere poterunt: ergo comprehenduntur ſub hac diſpoſitione. Reſpondetur enim in præcitata clauſula prohiberi Cardinalibus, Epiſcopis, & Ordinariis promovere ſibi non ſubditos ad titulum Beneficii, quodlibet iſtud ſit, non verò ad titulum Familiaturæ, ex quo iſtud poterunt, licèt illud efficere non valeant.

298. Nec obſtat II. Sanctiſſimum Innocentium in præſenti Conſtitutione, omnia Decreta, declarationes, ac reſponſa Sacræ Congregationis antehac, in hac materia, edita, ad præſentem diſpoſitionem reducenda præcipere; at in præſenti diſpoſitione præcipitur, quod nullus Epiſcopus Familiarem ſuum ſibi non ſubditum promovere valeat ad Clericalem tonſuram, non præmiſſis litteris Teſtimonialibus ſui proprii Epiſcopi: ergo licèt extent declarationes Sacræ Congregationis in contrarium reſpectu Cardinalium, reducendæ ſunt ad terminos præſentis Conſtitutionis. Reſpondetur tamen, quod argumentum verum eſſet, caſu quo DD. Cardinales à Conſtitutionibus generalibus, in quibus de ipſis ſpecifica mentio nulla fit, excluderentur, virtute dumtaxat aliquarum Sacrę Congregationis declarationum in materia ordinum antehac editarum, quod verum non eſt: cum à legibus Pontificiis, in quibus de Cardinalibus nulla expreſſa mentio fit, ipſi excludantur vi Juris Canonici, ut colligitur, *ex cap. unico, de ſchiſmaticis in 6. §. omnem perſonam*, & ibi docent Joan. Monach. & Joan. And. Inſuper, quia eſtò præſenti Conſtitutione quæcumque Decreta in particularibus caſibus à Sacra Congregatione in materia ordinum antehac edita, ad terminos prǽſentis Decretalis reducenda fore jubeatur, adhuc ſub lite manet, an Decreta in materia ordinum, in favoremque Cardinalium edita, ſub præſenti diſpoſitione comprehendantur,

tur, eo quod de Dominis Cardinalibus mentionem inibi non fecerit. Dicendum ergo, illas Declarationes in favorem Cardinalium, ac in materia ordinum editas præſenti diſpoſitione caſari, quæ cum Leges generales aliàs Cardinales comprehenderent, Sacra tamen Congregatio particularibus declarationibus, Cardidinales, intuitu ſuæ dignitatis, vel alio ſimili motivo, exceperunt, ex infra *num.* 321. dicendis, ſecus tamen in aliis eventibus.

DUBIUM II. *An titulo Familiaritatis DD. Epiſcopi ſuos Familiares alienæ Diœceſis ſubditos ad Clericalem tonſuram promovere valeant.*

299. AFfirmativè reſpondetur, & ita tenet D. Lamperez *n.* 428. Quia dum aliquid prohibetur, niſi hææ, aut illæ conditiones ponantur, conditionibus appoſitis, aufertur prohibitio; ac præſenti clauſula interdicitur DD. Epiſcopis ne ſuos Familiares non ſubditos, etiam ad Primam tonſuram, promoveant, non appoſitis conditionibus in ipſa clauſula expreſſis: ergo conditionibus appoſitis ad Primam tonſuram hujuſmodi Familiares promovere valebunt.

300. Nec obeſt, quod præſenti Conſtitutione omnibus Epiſcopis, ac Ordinariis prohibetur ſibi non ſubditos titulo originis, aut domicilii, ad Clericalem tonſuram promovere, etiam ſi immediatè conferant Beneficium; at Familiares de quibus loquimur non ſunt ſubditi Epiſcopi ſui Domini orgine, aut domicilio; ergo licèt intra menſem conferant Beneficium, ad Clericalem tonſuram non poterunt ipſos promovere. Diſtinguenda enim eſt major, prohibetur promovere titulo Beneficii, conceditur: Titulo Familiaritatis, negatur major, ac conſequentia.

301. Diſparitas igitur inter hos titulos hæc eſt, quod ille, qui alicui Epiſcopo ſubjicitur ratione ſolius Beneficii, implicat hanc ſubjectionem acquirere, non adepto priùs Beneficio: cum ergo ſine Clericali tonſura incapax ſit Beneficium obtinendi, incapax etiam erit ſubjectionis, quæ à Beneficio dependet; cum nullus Epiſcopus ad ordines promovere valeat ſibi nullo titulo ſubditum, hinc eſt quod titulo Beneficii acquirendi, ſeu expe-

ctativa

ctativa Beneficii promovere non valebit: non acquiſito enim Beneficio, nec ſubjectio acquiritur, ratione cujus promovendus erat. Cæterum Familiaritas titulus eſt ad ordines à Beneficio independens, ſubjectionemque ad ordines tribuit: Unde nihil mirum, quod titulo Familiaturæ poſſint Epiſcopi ſuos Familiares alienæ Diœceſis ſubditos ad Clericalem tonſuram promovere, nequeant tamen alienos ſubditos titulo Beneficii.

302. Hinc conſtat, quod ſi Epiſcopus ſuo Familiari alienæ Diœceſis ſubdito, ante triennium expletum, vel etiam expleto triennio, Beneficium in ſua Diœceſi conferret, ad ordineſque titulo talis Beneficii promovere vellet, non poſſet illum Clericali tonſura inſignire; quia titulo Beneficii non fit ſubditus quis, niſi Beneficio obtento, obtinere autem nequit, ad Clericalem tonſuram non promotus, unde nec Beneficium conferre poterant.

303. Quare ſi vellet dictum Familiarem promovere ad Clericalem tonſuram, vel titulo Familiaritatis promovendus, vel ad proprium Prælatum remittendus, ut illum Clericali tonſura inſigniat, vel obtinere tenetur Dimiſſorias, à ſuo Epiſcopo proprio originis, aut domicilii, ut à ſuo Domino Epiſcopo initietur: ſemel tamen à proprio Epiſcopo initiatus, & ab Epiſcopo cui inſervit Beneficio inſtitutus, poterit hic ulteriores ordines tribuere, ſervatis alias ſervandis.

304. Notandum eſt etiam, quod Epiſcopus, qui ſuum Familiarem titulo Familiaritatis promovet, tenetur ipſi conferre Beneficium intra menſem, à die promotionis ad Clericalem tonſuram, vel minores ordines, numerandum, nec menſis numerandus eſt à die, qua in ſacris ipſum promoveat: Inſuper Epiſcopus ipſe Beneficium conferre tenetur, unde ſi ipſe Familiaris alia via Beneficium certo expectaret, ab alioque conferretur, non poſſet ad Clericalem tonſuram illum promovere; non enim hoc modo Beneficium illi conferebat, ſicut in præſenti Conſtitutione præcipitur, quod intelligendum cum moderatione, quam ex Jordano ſupra *n.* 41. dedimus.

DU-

DUBIUM III. *An ſi Beneficium, quod Epiſcopus ſuo Familiari confert, ſit tenue, poſſit Patrimonio ipſum ſupplere.*

305. NON loquimur de Familiari Epiſcopi, qui origine, aut domicilio, ipſi Epiſcopo ſubiicitur, cum iſto enim ſupplere poteſt ex dictis ſupra *n.* 27. ſi enim valet dictum ſupplementum præſtare cum non familiaribus, & cum Familiaribus potiori jure valebit: Loquimur ergo de Familiari alienæ Diœceſis ſubdito, de quo etiam præſens Conſtitutio in præſenti clauſula loquitur, an ſcilicèt ſi Beneficium, quod intra menſem conferre tenetur prædicto Familiari, tenue ſit, Patrimonio ſupplere, valeat, talique ſuppleměto præſenti diſpoſitioni ſatisfaciat.

306. Affirmativè reſpondetur. I. Nam præſens Conſtitutio ſolummodo expoſcit quod Epiſcopus ſuo Familiari intra menſem conferat Beneficium, quod per ſe ad congruam vitæ ſuſtentationem ſufficiat; at Beneficium tenue, quod ſufficienti Patrimonio ſuppletur, per ſe ſufficit ad vitæ congruam ſuſtentationem; ergo ſatisfacit in præſenti caſu, conferendo Beneficium Patrimonio ſuffultum. Nec valet, quod in hoc caſu Beneficium non ſufficiet *per ſe*, ſed ratione Patrimonii adjecti, nam ut diximus ſupra *n.* 25. ly *per ſe* eo tendit, ut mendicitatem in Beneficiato excludat, vide ibi dicta.

307. Confirmatur: ſicuti enim præſenti Conſtitutione præcipitur Epiſcopo, ſuum Familiarem promovere volenti, quod ipſi Beneficium per ſe ad congruam ſuſtentationem ſufficiens, conferat, ſic Trident. *ſeſſio.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* Omnibus Epiſcopis, ad titulum Beneficii ad ordines Sacros promovere volentibus, præcipit, quod ejuſmodi Beneficium ejus ſit reditus, ut ſufficiant ad honeſtā ſuſtentationem; ſed ante præſentem Conſtitutionem, Domini Epiſcopi ſatisfaciebant diſpoſitioni Tridentini citati, promovendo ad titulum Beneficii tenuis, ipſum Patrimonio ſupplendo, ut tenent Barboſa *Jur. univer. lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 38. RR. Leander à Sacramento, *part.* 2. *tract.* 6. *diſp.* 9. *quæſt.* 3. Diana *part.* 8. *tract.* 2. *reſolut.* 20. Palao *part.* 4. *tract.* 17. *diſput. unica*, *punct.* 10. *n.* 2. eratque praxis fere inconcuſſa: ergo præſentis Conſtitutionis terminis ſtando, poterunt DD. Epiſco-

Epiſcopi ipſi Conſtitutioni ſatisfacere, conferendo Beneficium ſuis Familiaribus Patrimonio ſuffultum.

308. Hæc conſequentia probatur: licèt enim præſenti Conſtitutione, verbis ſupra *n.* 3. recitatis, prohibeatur Beneficium Patrimonio ſuppleri, id prohibetur dumtaxat Epiſcopo, alienæ Diœceſis ſubditum, ac titulo Beneficii in ſua Diœceſi obtenti, ad ordines promoventi, non verò inibi prohibetur Epiſcopo Familiarem ſuum alienæ Diœceſis ſubditum, titulo familiaturæ promoventi: ergo licèt Epiſcopus ordinans alienum ſubditum titulo Beneficii in ſua Diœceſi obtenti, Beneficium Patrimonio ſupplere nequeat, poterit Epiſcopus, ejuſmodi Familiarem, tituloque Familiaturæ promovens, hoc etenim nullibi prohibetur.

309. Dices, verum eſſe in verbis *n.* 3. relatis non prohiberi abſolutè, prohibetur tamen additis verbis ſupra *n.* 292. recitatis, in iſtis enim dum de qualitate Beneficii, pro noſtro caſu, diſponitur, ſic fatur: *Beneficium inſuper, quod eſſe ad vitam ſuſtentandam, juxta modum ſuperius præfinitum, ſufficiat, quacumque fraude ceſſante, ſtatim illi conferat.* Quibus verbis Sanctiſſimus, citra dubium, refertur ad diſpoſitionem *n.* 3. datam: at in hac Beneficium Patrimonio ſuppleri omnino aufertur, quodque ex ipſo textu conſtat, ibi: *Sublata quacumque Facultate ſupplendi, quod defecerit fructibus ejuſdẽ Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, &c.* ergo ſupplere Beneficium Patrimonio non ſolum Epiſcopo Beneficii, tituloque Beneficii promoventi, verùm Epiſcopo titulo Familiaturæ ordinanti, prohibetur.

310. Reſpondetur tamen, negando, quod prædicta verba *n.* 292. exarata, referantur ad alia *n.* 3. relata, qua parte in his, Beneficium Patrimonio ſuppleri, Facultas aufertur, pro cujus intelligentia notandum eſt, quod in præcitatis verbis, *n.* 3. relatis tria, quæ ad præſentem difficultatem conducunt, ſtatuta à Sanctiſſimo Innocentio leguntur. Primum, quod Beneficium ejus ſit reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, ſive juxta taxam Synodalem, ſive ea deficiente juxta morem Regionis pro promovendis ad ſacros ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat. Secundum, quod prædictum Beneficium poſſidendum eſt pacificè ab ordinando. Tertiũ, quod Epiſcopus Beneficii nequeat Patrimonio ſupplere, quod defecerit fructibus ejuſdẽ Beneficii.

311. Hoc

311. Hoc notato, dicimus, quod quando in præſenti Conſtitutione Epiſcopo, ſuum triennalem Familiarem promovere volenti, præcipitur, quod intra menſem conferat Beneficium, *quod eſſe ad vitam ſuſtendandam juxta modum ſuperius præfinitum, ſufficiat*: hæc inquam clauſula refertur ad aliam *n.* 3. exaratam, qua parte hæc de quantitate reditus Beneficii ad congruam vitæ ſuſtentationem, diſponit, in primaque diſpoſitione numero antecedenti relata continetur, non verò refertur ad ſecundam, nec tertiam diſpoſitionem: Undè refertur ſolum ad præcedentem diſpoſitionem, quatenus hæc præcipit, quod Beneficium ſit per ſe ſufficiens ad congruam ſuſtentationem juxta taxam Synodalem, vel ea deficiente, juxta morem Regionis, ac detractis oneribus;non verò refertur qua parteBeneficium pacificè poſſeſſum expoſcit, nec qua parte facultas,ad ſupplendum Patrimonio Beneficium, aufertur: Hææ enim diſpoſitiones ex ſe ſunt valde diverſæ,ex quo,diſpoſitio quę refertur ad unā, ad alias nō refertur.

312. Quod autem præſens diſpoſitio de obligatione conferendi Beneficium Familiari, *juxta modum ſuperius præfinitum*, referatur dumtaxat ad diſpoſitionem antedictam, qua parte hæc Beneficium per ſe, detractis oneribus, ſufficiens ad congruam vitæ ſuſtentationem, expoſcit, non verò quod ad pacificam poſſeſſionem, nec ſupplementum cum Patrimonio, inde conſtat, nam in præſenti diſpoſitione, dum Epiſcopo, ſuum Familiarem promoventi, onus imponitur, conferendi Beneficium, ita imponitur, ut quo ad vitam ſuſtendandam ſit ſufficiens, juxta modum ſuperius præfinitum, imponatur: ergo ly *juxta modum ſuperius præfinitum*, ad ſufficientiam congruæ, per ſe, & detractis oneribus, refertur dumtaxat, aliter ſi omnia contenta in antecedenti diſpoſitione comprehendere vellet, ad quid illa expreſſio, *quod eſſe ad vitam ſuſtentandam, juxta modum ſuperius præfinitum, ſufficiat*; ſufficiebat enim ſi diceret. *Beneficium inſuper, juxta modum ſuperius præfinitum, ſtatim, hoc eſt intra menſem, conferat*: ergo dum addidit, quod Beneficium eſſet juxta modum ſuperius præfinitum quo ad vitæ ſuſtentationem, quo ad hanc partem voluit diſpoſitionem præcedentem in iſta comprehendere, cæteras autem excluſit.

313. Hæc conſequentia communis eſt apud Legiſtas,& Canoni-

noniſtas, quos citat, ac ſequitur Barboſa *de dictionibus uſufrequentibus*, *dict.* 441. *n.* 3. ubi ait, quod licèt dictiones repetitivæ (qualis eſt, *juxta modum ſuperius præfinitum*,) omnia præcedentia cum ſuis qualitatibus repetant, non tamen repetunt ea, quæ non ſunt expreſſa, nec ea quæ dicuntur infra; item ſi in præcedentibus multæ conditiones ſint appoſitæ, & in ſequentibus repetatur una conditio, non importat repetitionem in aliis, ſed ſolum in expreſſis; ſed ſic eſt, quod licèt in diſpoſitione *n.* 3. relata ſint multæ conditiones, quas tenere debet Beneficium collatum ab Epiſcopo Beneficii, ſcilicèt, quod ſit per ſe ſufficiens ad congruam ſuſtentationem, quod pacificè poſſideatur, quod Patrimonio nequeat ſuppleri, quia tamen cum in præſenti repetit, exprimat ſolum, quod Beneficium ſit ad congruam ſuſtentationem ſufficiens hanc, ſolam conditionem repetet, & nõ aliàs.

314. Hoc adeò manifeſtum eſt, ut ex ipſa conſtet Conſtitutione; cum enim in præcedenti clauſula una ex conditionibus ſit, quod Beneficium pacificè poſſideatur, ut eo titulo Epiſcopus Beneficii alienum ſubditum promovere poſſit, ad hanc conditionem nequit præſens clauſula referri, cum ſatis ſit Epiſcopo ſuum Familiarem promoventi, quod intra menſem à die factæ ordinationis Beneficium conferat, quodque promovere eſt Beneficio, pacificè non poſſeſſo, ut per ſe patet: ſi ergo hanc conditionem dictio repetitiva non repetit, nec conditionem, in qua facultas ſupplendi Beneficium cum Patrimonio aufertur, repetet, quia expreſſa alia conditione, hæc non exprimitur, ex dictis numero antecedenti: Igitur ſi in præſenti clauſula non aufertur Epiſcopo, ſuo Familiari promovere volenti, facultas ſupplendi Beneficium Patrimonio, ſequitur nullibi eſſe ſublatam, ad quod conſule rationem ſupra à *n.* 16. quæque mutatis mutandis coaptari ad præſens valet, unde poterit Epiſcopus in noſtro caſu dictum ſupplementum præſtare.

315. Ex his infertur, poſſe Dominos Epiſcopos, dum ſuos Familiares alienæ Diœceſis ſubditos titulo Familiaritatis promovent, conferre Cappellanias perpetuas, aut vitalitias, dummodo collativæ ſint, in ſuis Diœceſibus inſtitutæ, ac taxam Synodalem exæquantes, nec amovibiles ſint: ſi vero taxam Synodalem non exæquant poſſunt Patrimonio, Cappellaniaque Pa-

tronatus pure laicalis, inamovibilis tamen, ſupplere. Prima pars conſtat, nam Cappellanię dictę ſunt propriæ Beneficium. II. pars etiam conſtat ex immediate dictis.

316. Dixi, *in ſuis Diœceſibus inſtitutæ*, nam ſi in noſtro caſu dicti Domini Epiſcopi valeant antedictos ſuos Familiares ad ordines promovere, tribuendo Beneficium, aut Cappellaniam in alia Diœceſi inſtitutam, difficultate non caret; extat enim declaratio Sacræ Congreg. *ſub* 22. *Aprilis* 1617. quamque refert Sel. *in ſelect. Canonic. cap.* 19. *n.* 17. quod Epiſcopus promovere non valet ſuum Familiarem non ſubditum titulo Familiaritatis, ob Beneficium quod ipſe Familiaris independenter ab Epiſcopo in alia Diœceſi poſſidebat, etenim hoc modo Epiſcopus non illi Beneficium confert: ergo nec ſatisfacit Tridentino, præſentive Conſtitutioni, quibus ipſe Epiſcopus Beneficiũ conferre tenetur.

317. Sed an Tridentino, præſentique Conſtitutioni ſatisfaciat, præſentando ſuum Familiarem in Beneficio, aut Cappellania collativa perpetua, in alia Diœceſi inſtitutis, ad quaſque Epiſcopus Dominus Familiaris jus Patronatus habet, affirmativè reſpondetur; quia licèt præſentando ſolum, Beneficium non conferat, conferre enim Beneficium, eſt in illo Canonicè inſtituere, quodque ſolus Epiſcopus Locì in quo Beneficium erectum eſt, poteſt; at hoc non obeſt, tum quia nomine collationis intelligitur præſentatio, ut docet Barboſa *de appellat. verb. appellat.* 54. *n.* 1. Tum quia Epiſcopus, qui jure Patronatus præſentat ad Beneficium in aliena Diœceſi, hujus Ordinarius admittere præſentationem tenetur, ac confirmationem præſtare, *cap. ſignificaſti*, *de Jure Patronatus*. Tum quia obligatio conferendi Beneficium Familiari, imponitur Epiſcopo, ne Familiaris mendicare cogatur, ut docet Trullench, *tom.* 3. *lib.* 6. *cap. unico, dub.* 7. *n.* 28. huicque incommodo æque occurritur ſive Epiſco pus conferat Beneficium, ſive ad illud præſentet, cum utroque modo mendicitati occurratur; ſupponimus namque eſſe ſufficientis congruæ, ſic enim quæſtio procedit. Tandem ſatisfaciet tribuendo Beneficium in ſua Diœceſi, licèt non pertineat ad ejus collationem, & dictis ſupra *n.* 41. in fine.

DU-

DUB. IV. *Aliæ illationis circa materiam præſentem proponuntur.*

318. INfertur etiam, quod ſi ſententia P. Enriquez, ac Mag. Cordubæ, de qua ſupra, *quæſt.* 1. *dub.* 10. *n.* 76. ſcilicèt, quod Epiſcopus proprium ſubditum promovere valet ad titulum ſufficientiæ, modo quo inibi ſufficientia declarata fuit, eſt probabilis, non videtur improbabile, poſſe Epiſcopum ſuum Familiarem alienæ Diœceſis ſubditũ ad ordines, eſtò intra menſem Beneficium ipſi nõ conferat, dummodo intra eundem menſem ipſum in aliquo celebri Collegio collocet, mediaque miniſtret, ad Gradum Licentiati in Sacra Theologia, aut in Jure Canonico adipiſcendum; etenim licèt in hoc caſu Beneficium eo ipſo non conferat, confert tamen id medio quo infallibiliter brevi Beneficium conſequetur, quodque fundamentum eſt Cordubæ, & Enriquez pro ſua ſententia, quæ ſi vera eſt, idem in præſenti militare videtur.

319. Nec obſtat, quod ſecundum præſentem Conſtitutionem Epiſcopus *re ipſa* tenetur Beneficium ſuo Familiari conferre, & in noſtro caſu re ipſa Beneficium minimè confert: Reſpondetur enim, quod qui medium tribuit, quo infallibiliter moraliter brevi Beneficium obtinebitur, judicio Prudentum re ipſa Beneficium confertur, ut docent Corduba, & Enriquez: ſicut qui obſtrictus eſſet tribuere tritici modium, judicio Prudentum illud tribueret, dando numerata pecunia valorem, quia pecunia facile modium tritici comparare poſſet, ſic in noſtro caſu.

320. Et licèt id minimè concedatur Epiſcopo alieno, alienum ſubditum, promovere volenti, ex dictis ſupra *n.* 77. diſpar eſt ratio, nam ſubditus alienus ante poſſeſſionem Beneficii in aliena Diœceſi non fit ſubditus ad ordines ejus Epiſcopi: at Familiaris Epiſcopi non fit ſubditus ratione Beneficii obtinendi, ſed ratione Familiaritatis, quæ collationem Beneficii antecedit, & collatio Beneficii ſolum eſt quadam obligatio, quæ Epiſcopò imponitur, cuique nõ improbabiliter ſatisfacit, collocando ſuum Familiarem in Collegio ubi breviter judicio prudentum Beneficium obtinebit, ſi ſententia Cordubæ, ac Enriquez vera ſit.

321. Infertur tandem, improbabile videri, poſſe Dominos Epiſcopos ſuos Familiares triennales alienæque Diœceſis ſubdi-

tos, ad titulum Patrimonii, aut Penſionum, vel utriuſque, ſi neutrum per ſe congruam Synodalem exæquent, promovere, etiam ſi in eorum Eccleſiis utiles, aut neceſſarii ſint prædicti Familiares, in ipſiſque Eccleſiis reſidere faciant; quia licèt de hac materia in terminis extent variæ declarationes Sac. Congregationis, quas refert Garcia *de Beneficiis, part.* 2. *cap.* 5. *n.* 81. quia tamen omnes declarationes Cardinalium ante hac in hac materia editæ, ipſi Cardinales ad terminos præſentis Conſtitutionis reducendas cenſuerit, ut ex Procemio prçſentis Conſtitutionis conſtat: hæcque Beneficium pro noſtro caſu expoſcat; Patrimoniumque, nec Penſiones Beneficia non ſint, iſtis præſenti diſpoſitioni Epiſcopus non ſatisfaciet, quod maximè locum habet, quia ut citatus Garcia, *n.* 80. ait prædictum privilegium à Sacra Congregatione conceſſum fuit textum Tridentini *ſeſſio.* 23. *cap.* 9. *de reformat.* ampliando, nõ interpretando: ergo contra mentẽ utriuſque erit in noſtro caſu, pro Beneficio Patrimonium ſubrogare.

DUBIUM V. *An Domini Epiſcopi promovere valeant Familiares triennales, qui tamen in ejus actuali ſervitio non ſunt.*

322. IN duplici ſenſu exagitari valet quæſtio. I. in caſu quo Epiſcopus dictum Familiarem per integrum & completum trienninm in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit, poſtea tamen ablegetur, vulgo *le deſpiden*, *ò ſe deſpide*: cioè *lo licentiano*, *ò ſi licentia* an inquam ſic ablegato poſſit Epiſcopus, intuitu triennii quod ipſi inſervivit, prædictum Familiarem ad ordines promovere, quin iterum ad ſuum ſervitium admittat, II. an ſi poſtquam triennium complevit, dimiſſus fuit, iterum tamen ad ſervitium prædicti Domini Epiſcopi admittatur, promoveri poſſit altero triennio non expectato.

323. Pro reſponſione adnotandum eſt, quod dupliciter Familiaris diſcedere poteſt ab ædibus Epiſcopi Domini ſui. I. retinendo honorem Familiaris, puta, quia cum beneplacito Epiſcopi à ſuo Palatio diſcedit, eo quod Parentes, aut domus Familiaris eo opus habent, tuncque habita licentia ab ejus Domino Epiſcopo, cum honore ſui Familiaris dimittitur. II. quando ob ejuſdem depravatos mores ſine tali honore ab Epiſcopi ſervitio

able-

ablegatur. In primo caſu cenſeo promoveri poſſe, ſi Epiſcopo per triennium integrum, & completum inſervivit, quia ſic cenſetur ſemper in ſervitio Epiſcopi eſſe, & quia titulo Familiaris gaudet, nec ex vi præſentis Conſtitutionis tenetur Familiaris ultra triennium integrum, & completum intra ædes Epiſcopales Epiſcopo aſſiſtere, nec hujus ſumptibus ali, ut ab Epiſcopo Domino ſuo ad ordines promoveatur: ergo in hoc caſu promoveri poterit, licèt in ſuo actuali ſervitio non ſit. Difficultas eſt in ſecundo caſu, quodque juxta duplicem ſenſum ſupra inſinuatum reſolvetur.

324. Reſpondetur ergo I. quod quando Familiaris ſemel à ſervitio Epiſcopi Domini ſui, expleto integro ſui ſervitii triennio, dimittitur, non poſſe titulo Familiaritatis promoveri, ita docet D. Lamperez *n.* 436. Probatur, quia ut tenet cum aliis dictus D. Lamperez *n.* 440. Familiaris per Familiaritatem permittitur Ordinari, ac ſi eſſet ſubditus domicilii Epiſcopi Domini ſui; at qui ſubjectionem domicilii acquiſitam ad ordines in aliqua Diœceſi, ſi ſemel deperdat, titulo domicilii non poteſt promoveri, ut ex ſe conſtat: ergo cum in noſtro caſu titulum Familiaritatis prædictus Familiaris deperderit, promoveri eo titulo non valebit. Barboſa *de poteſt. Epiſco. allegat.* 5. *n.* 20.

325. Reſpondetur II. Familiaris, qui triennio integro expleto, à ſervitio Epiſcopo dimittitur, & poſtea ad ipſum inſerviendum admittitur, non expectato altero triennio promoveri ad ordines valet. Ratio eſt, quia promovere ſuos Familiares eſt privilegium in favorem Epiſcopi conceſſum: ergo licèt Familiaris fuerit dimiſſus, dum iterum admittitur, cenſendum eſt ſemper in ſervitio ſui Domini permanſiſſe, argumento Juris Poſt liminii, & Legis Corneliæ, *de quibus* Pichardo, *lib.* 1. *Inſtitut. titulo* 12. §. *ſi ab hoſtibus* 4. *num.* 3. quæ militem ab hoſtibus captum, & poſtea reverſum, numquam captum fuiſſe, ſed ſemper in Civitate manſiſſe fingebant, eo quod in favorem civium, & ut iſtos ad bella facilius invitarent, prædictæ leges latæ fuerunt; cùm ergo lex, quæ Epiſcopo concedit, ut ſuos Familiares ad ordines, titulo Familiaritatis, promovere poſſit, in favorem Epiſcopi, & ut melius à ſuis famulis ſerviatur, lata ſit, ea lege expleta, concedendum erit, quidquid ad prædictum finem facilius

cilius

cilius invitet; ergo dicendum eſt, quod in noſtro caſu promoveri valet famulus.

326. Infertur I. non eſſe improbabile, quod triennium, quod inſervire tenetur Familiaris Epiſcopi alienæ Diœceſis ſubditus, non debet eſſe continuum; quia præſens Conſtitutio ſolum expoſcit, quod triennium ſit integrum, & completum; ſed poteſt eſſe completum & integrum, quin ſit continuum: ergo non contraveniret præſenti Conſtitutioni, qui triennio non continuo ad ordines promoveretur; quia quod lex non diſtinxit, nec nos diſtinguere debemus.

327. Infertur II. nec improbabile eſſe, ſufficere inſerviſſe triennium ſuo Domino, qua Canonico, qua Epiſcopo, ut docent communiter Authores, qui ante præſentem Conſtitutionem ſcripſerunt, quia in hac parte nihil præſenti Conſtitutione innovatur: ergo quod ante præſentem Conſtitutionem in hac parte probabile erat, probabile poſt Conſtitutionē præſentē manet.

Infertur III. Familiarem non in ædibus Epiſcopalibus, ſed tantum intra Diœceſim Epiſcopi Domini commorantem, non prohiberi Ordinari ratione abſentiæ, quia præſumitur, Epiſcopum perſpectos habere mores omnium Clericorum ſuæ Diœceſis, præſertim vero Familiarium, & in ſuis obſequiis viventium: Idem non improbabiliter firmandum, licèt extra Diœceſim, prope ipſam tamen, præſertim ſi parva ſit diſtantia, & locus in quo morantur non longe diſtet ab Epiſcopi habitatione; his enim caſibus militat eadem præſumptio, quod Epiſcopus notos habeat eos, illorumque mores. Sicut nec illi prohiberi videntur, qui quandoque pro ſuis, vel pro Domini negotiis aliò ſe transferunt, brevi tempore reverſuri, tales enim non videntur abeſſe quo ad Juris effectum. Nomine tamen Familiarium non intelliguntur cognati, vel propinqui Epiſcopi, etiam ſi continui ejus fuerint commenſales, niſi alicui honeſto ſervitio Epiſcopi deputati fuerint. Doctrinam hujus tertiæ illationis docet ipſis verbis Pax Jordanus, *elucubrat. lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 160. 161. 62. & 63. cui aſſentire videtur Barboſa *de poteſt. Epiſco. allegat.* 5. *n.* 20. Farinatius *deciſ.* 184. *part.* 1. *tom.* 1. *n.* 9.

328. Cenſeo tamen præſenti diſpoſitioni non ſatisfacere, qui pluribus Epiſcopis, etiam ejuſdem Sedis, inſerviendo, uni-

unicum triennium integrum expleret. V. G. Titius uni Epiſcopo Turiaſonenſi per annum inſerviret, quo mortuo, vel ammoto, ſucceſſori per duos annos ſervitium continuaret, non poſſet inquam Succeſſor, triennio ſic expleto, ad ordines Titium ſuum Familiarem alienæ Diœceſis ſubditum, titulo Familiaritatis, promovere, quia eidem numero Epiſcopo præſtandum eſſe ſervitium, ſatis verba præſentis diſpoſitionis indicant; non enim ſervitium Dignitati principaliter, ſed Perſonæ in ea dignitate conſtitutæ, præſtatur: ergo mutata perſona, & ſervitium mutatur, ac proinde ſervitium uni Epiſcopo exibitum, cum ſervitio alteri præſtatum, ad triennium integrandum, & explendum, non conjungitur.

# Facultatis Inquirendi.

## QUÆSTIO V.

*De facultate Inquirendi, qua gaudent Domini Epiſcopi proprii reſpectu ſuorum ſubditorum, qui ab alienis Epſcopis promoti fuerint.*

329. HActenus de titulis, quibus ſubditi promoveri valeant, egit Sanctiſſimus Innocentius, nunc de fraudibus promotis, ſermonem inſtituit: Et licèt ſacri Canones, Tridentinum, variæque diverſorum Pontificum Conſtitutiones, maximoperè occurrere fraudibus contenderint; artificio tamen promovendorum vix excreare valuerunt, cujus fortè ea erat ratio, quod anteactæ diſpoſitiones principaliter verſabantur circa ordinationes faciendas, ne ſcilicèt dolo fierent, quin perperàm factis, plena providentia hactenùs occurrerint; ideoque Sanctiſſimus Innocentius præſenti ſua Conſtitutione fraudes omninò extirpare condendens, ſuo vigilantiſſimo zelo, non ſolum pro ſuſcipiendis ordinibus, formam, qua fraudibus occurritur, tribuit, verum & pro ſuſceptis ſingulari ac plena providentia obſiſtit, facultatem ſcilicèt concedendo propriis Epiſcopis, ut de ordinibus ſuorum ſubditorum ab alienis Epiſcopis ſuſceptis, inquirere diligenter, tenore ſequentium valeant.

330. *Por-*

330. *Porrò ut quibuſcumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, atque decernimus, ut Epiſcopus quilibet ſuos ratione originis, vel domicilii ſubditos Clericos quoſcumque ab alienis Epiſcopis quavis auctoritate, etiam cum ſuis Commendatitiis litteris, promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini, ſeſſio. 14. cap. 3. de reformat. quo ad ſcientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum, Teſtimoniales litteras (gratis tamen) recognoſcere, ac diligenter perquirere, an quo ad illos præſentis Conſtitutionis forma & diſpoſitio ſit adimpleta; aſſignato ſic promotis termino competenti, eis bene viſſo, ad docendum de ejuſmodi adimplemento, ita ut quos, eo termino elapſo, id minimè præſtitiſſe contigerit, à ſuſceptorum ordinum exercitio, ſi ita & quandiu expedire videbitur ſuſpendere, illiſque, ne in altari, aut aliquo ordine miniſtrent, interdicere poſſit.*

331. Scopus hujus clauſulæ eò tendit, ut fraudes omninò in promotionibus ad ordines exterminentur: Pro ejus tamen intelligentia adnotandum eſt, quod regulariter fraudes duplici ex capite machinantur, vel ex defectu ſcientiæ in promovendo, vel quia licèt ſcientia ſatis ſuperque ſit præditus, adeo tamen rigide tituli ad ordines, in ejus propria Diœceſi, ſpeculantur, ut non facile à proprio Prælato ad ordines promoveri ſperetur, qua propter in aliena Diœceſi, ubi mitius tituli ad ordines explorantur, Beneficium, non ſine aliqua fraude obtinet, hujuſque titulo ad ordines ab alieno Epiſcopo promovetur.

332. Pro fraudibus ex primo capite provenientibus, defectu ſcilicèt ſcientiæ, ſatis occurrit Tridentinum *ſeſſio. 14. cap. 3. de reformat.* quia tamen non minores fraudes excogitantur in titulis, quibus ordinandi promovendi ſunt, ideo in præſenti Conſtitutione propriis Epiſcopis originis ſcilicèt, vel domicilii Facultas conceditur, ut ſuos ſubditos Clericos, ab alienis Epiſcopis promotos, non ſolum quo ad ſcientiam examinare valeant, quodque à Tridentino citato eis jam conceſſum erat, verum ordinum eis collatorum Teſtimoniales litteras recognoſcere, ac diligenter inquirere, an in ſuſceptis ordinibus præſentis Conſtitutionis forma, & diſpoſitio ſit adimpleta, id eſt, an titulo ficto, an in reditibus diminuto, vel alio aliquo, quod præſenti diſpoſitioni opponatur, quibuſque omnino fraudibus aditus

præ-

præcluditur, cum ignorare nequeant, poſt promotionem ſubjectos, ut ipſis pœnæ in præſenti Conſtitutione indictę infligantur, manere, harumque timor à fraudulentis promotionibus arceat.

DUBIUM I. *Qui Epiſcopi, quorumque ſubditorum inquirere valeant, juxta præſentem diſpoſitionem.*

333. Dubium in præſenti minimè procedit de inquiſitione extrajudiciali, qua ſcilicèt Domini Epiſcopi quoſcumque Clericos exteros, quique ab aliis Epiſcopis promoti fuerunt, ac in ſuis Diœceſibus commorantur, præcipiunt, ut litteras ſuſceptorum ordinum, quas in illorum Diœceſibus exercere cupiunt, exibeant, quibuſque conſtet verè ordines ſuſcepiſſe: Hac enim facultate gaudent omnes Epiſcopi ex Trident. *ſeſſio. 22. de ſacrific. Miſſæ, cap. 8. ſeſſio. 23. cap. 16. de reformat.*

334. Solum ergo procedit dubium de inquiſitione judiciali, quæ uſque ad ſuſpenſionis pœnam incluſivè præſenti conſtitutione Epiſcopis committitur: De hac ergo inquiſitione quæritur, qui Epiſcopi ea gaudeant, & reſpectu quorum ſubditorum. Epiſcopos originis, aut domicilii reſpectu ſuorum ſubditorum, quique ab ipſis ad Clericalem tonſuram, minoreſque otdines promoti fuerunt, ab aliiſque Epiſcopis ulteriores ordines ſuſceperunt, gaudere, ex præſentis Conſtitutionis diſpoſitione liquidò conſtat; hocque licèt à propriis Epiſcopis Teſtimoniales litteras obtinuerint, his namque conſtare poteſt proprio Epiſcopo de natalibus, ætate, vita, & moribus ſuorum ſubditorum, non tamen de ſufficientia, ac præcipuè de titulo, quo ab alieno Epiſcopo promoti fuerunt; cumque in titulo contravenire præſenti Conſtitutioni potuerint, fit inde, quod non obſtāte obtentione Teſtimonialium à proprio Epiſcopo, poterit hic de ordinatione prædictorum ſubditorum inquirere.

335. Ex his infertur I. Epiſcopum Beneficii non poſſe inquirere de ordinibus ſuſceptis ab Epiſcopo originis, vel domicilii. V. G. Titius qui originarus eſt Diœceſis Burtinenſis, ac domicilium habens in Oſcenſi, à Jacenſi Epiſcopo, titulo Beneficii in ejus Diœceſi obtenti, ad Subdiaconatum promovetur, ſed quia idem Titius in Diœceſi ſuæ originis, vel domicilii Beneficium etiam obtinuit, ab ejus Epiſcopo ulteriores ordines ſuſcipit,

ſcipit, dicimus, quod vi præſentis Conſtitutionis nequit Epiſcopus Jaccenſis inquirere de ſuſceptis ordinibus ab Epiſcopo originis, vel domicilii; quia hanc Facultatem concedit dumtaxat præſens Conſtitutio Epiſcopis originis, vel domicilii, non aliis: ergo iſti vi præſentis Conſtitutionis inquirere non valebunt, nec pœnas in ea contentas contravenientibus infligere.

336. Infertur II. quod idem Titius, in caſu propoſito, inquiri poſſet ab Epiſcopo originis, vel domicilii de ordine Subdiaconatus ab alieno Epiſcopo ſuſcepto, quia in ejus ſuſceptione contraveniri potuit præſenti Conſtitutioni; ac proinde de ea inquiſitio fieri poteſt ab Epiſcopo originis, vel domicilii, eſto aliquis iſtorum ulteriores ordines Titio conceſſiſſet, quia hoc non tollit quo minus in ſuſceptione Subdiaconatus diſpoſitio præſentis Conſtitutionis minimè adimpleta ſit. Similiter dicendum eſt, licèt Titius ab Epiſcopo proprio Subdiaconatum ſuſciperet, & poſtea, quia in aliena Dœceſi Beneficinm obtinuit, ab iſtius Epiſcopo ulteriores ordines ſuſcipit (quod poſſe Titium, teſtatur Trullench, *tom.* 3. *lib.* 6. *cap. unico*, *dub.* 7. *num.* 27. hancque eſſe praxim in Regno Valentino affirmat) propter eamdem rationem.

337. Infertur III. Epiſcopum originis non poſſe inquirere de ſuo orignario ſubdito, promoto ab Epiſcopo domicilii, nec è contra; quia cum in præſenti Conſtitutione Facultas inquirendi concedatur ſolummodo Epiſcopis originis, vel domicilii reſpectu ſuorum ſubditorum, & cum iſti ab Epiſcopis alienis fuerunt promoti, & qui promoventur ab Epſcopo domicilii, vel originis, ab alieno Epiſcopo promoti non fuerunt,ſit inde,quod nec Epiſcopus originis poteſt inquirere de ſuo ſubdito, ab Epiſcopo domicilii promoto, nec è contra.

338. Infertur IV. Quod Epiſcopus originis, aut domicilii ille intelligitur in præſenti, ad effectum inquirendi, qui tempore quo inquiritur eſt Epiſcopus originis, vel domicilii, non vero qui fuit, quare ſi domicilium quod habebat Titius in aliqua Diœceſi, tempore quo promotus fuit ab alieno Epiſcopo, amiſit, ac in alia Diœceſi contraxit, Epiſcopus iſtius & non illius inquirere poterit,quia ille jam non eſt Epiſcopus domicilii.

339. Similiter, ſi idem Titius natus fuiſſet ex accidenti in

aliqua

aliqua Diœceſi, Patre nullibi domicilium habente, & quo caſu Titius originarius eſt Epiſcopi originis naturalis paternæ, ex dictis *num.* 95. & *n.* 108. poſtea tamen Pater domicilium contrahat in loco caſualis ortus Titii, etiam ſi poſt ordinationem filii domicilium in dicto loco contraxerit, non poterit Epiſcopus naturalis paternæ originis inquirere de ordinibus dicti Titii; quia ex quo ejus Pater domicilium in loco caſualis ortus Titii contraxit, jam non eſt ſubditus originis Epiſcopi Loci, in quo caſualiter ortus fuit.

340. Infertur V. Quod ſi Titius promotus ad ordines fuit ab Epiſcopo alieno, ad quem cum Dimiſſoriis proprii Epiſcopi originis ſcilicèt, vel domicilii fuit remiſſus, nequit inquirere de ordinibus ab Epiſcopo alieno ſuſceptis, quia ſic promotus Titius, Epiſcopo proprio conſtat, legitimè, ac juxta præſentis Conſtitutionis diſpoſitionem promotum fuiſſe. Nec obeſt, quod Epiſcopus proprius inquirere poteſt, etiam ſi cum ſuis Commendatitiis litteris ejus ſubditus promotus fuerit ab alieno Epiſcopo, quia aliud ſunt litteræ commendatitiæ, aliud Dimiſſoriæ, ut docet Navarrus *conſil.* 27. *de tempor. ordinat.* apud Barboſam *alleg.* 7. *n.* 16. ergo diſpoſitum in illis, non procedit in iſtis.

341. Infertur VI. Epiſcopos originis, vel domicilii non poſſe inquirere de ſuo ſubdito origine, vel domicilio, ab alieno Epiſcopo promoto, quando ille fuit Familiaris alicujus Domini Epiſcopi, hicque ad titulum Familiaritatis promovit; quia præſens clauſula inquiſitionis defluit à clauſula *num* 2. recitata, in qua ſermo eſt de illo ſubdito, qui ab Epiſcopo proprio ad Clericalem tonſuram, ſeu etiam ad minores ordines promotus, ratione Beneficii in aliena Diœceſi obtenti, ab hujus Epiſcopo promovetur: ergo in præſenti clauſula inquſitionis Epiſcopo originis, vel domicilii conceditur ſolummodo Facultas inquirendi pro ſuis ſubditis, qui ab alienis Epiſcopis titulo Beneficii in eorum Diœceſi obtenti, promoti fuerunt, non vero pro his, qui titulo Familiaritatis fuerunt promoti.

342. Antecedens probatur, quia ex vi præſentis clauſulæ Epiſcopus proprius ſolum poteſt inquirere de ſuis ſubditis Clericis, id eſt de illis, qui jam antequam ab alienis Epiſcopis promoverentur, Clerici erant, ſeu ad Clericalem tonſuram à pro-

prio Epiſcopo promoti fuerant; ſed hoc ſolum poteſt intelligi de illis ſubditis, qui ab alieno Epiſcopo titulo Beneficii promoventur: ergo hæc clauſula defluit ab alia *n.* 2. recitata, in qua ſermo eſt de promotis ab alieno Epiſcopo titulo Beneficii: ergo de his ſolum inquirere poſſunt Epiſcopi proprii.

343. Minor probatur, quia cum Epiſcopus ſuum Familiarem ad Clericalem tonſuram titulo Familiaritatis promovere valeat, ex dictis *n.* 299. & ante hujus ſuſceptionem nemo ſit Clericus, fit inde, quod ſi juxta præſentem clauſulam Epiſcopi proprii ſolum poſſunt inquirere de ſuis ſubditis Clericis, id eſt, de his, qui antequam ab alienis Epiſcopis promoveantur, Clerici erant, cum Epiſcopus ſuum Familiarem alienæ Diœceſis ſubditum, titulo Familiaritatis, promovere poſſit, antequam dictus Familiaris Clericus fuerit, præſens clauſula non loquitur cum ſubdito Familiari, titulo Familiaritatis ab alieno Epiſcopo promoto.

344. Et jure optimo quidem, tum quia in titulo Familiaritatis præſumi nequeunt fraudes, quæ in titulo Beneficii experiuntur, quia cum titulus Familiaritatis integretur ex ſervitio triennali, ac obligatione in Domino Epiſcopo conferendi intra menſem ſuo Familiari Beneficium, hocque totum per manus dicti Domini Epiſcopi tranſeat, de Eccleſiæ Principe quo jure fraudes timeri poſſunt: ergo lex quæ contra fraudes lata fuit, ad caſum in quo fraudes non timentur, extendenda minimè eſt.

345. Tum quia mens præſentis Conſtitutionis,ut ex Proœmio ac Decretalibus diſpoſitionibus conſtat, eo tendit, ut coërceat illos ſubditos, qui ut à propriis Epiſcopis aufugerent, in aliis Diœceſibus titulos fictitios, ac fraudulentos quærebant, ut ab earum Epiſcopis ordines ſuſciperent, qui à propriis Epiſcopis merito denegabantur: contra hos inquam præſens Conſtitutio lata fuit, ab hocque fine longiſſime abeſt titulus Familiaritatis, ut ex ſe conſtat: ergo lex ſtabilita pro illis, pro Familiaribus Dominorum Epiſcoporum ſtabilita non fuit: ergo ab inquiſitione immunes erunt: Quodque verum erit, eſto Familiares à proprio Epiſcopo ad Clericalem tonſuram, ſeu ad minores ordines promoti fuerint, propter rationem dictam. Non ſic, ſi Epiſcopus Dictum Familiarem titulo Beneficii promove-

moveret, quia in hoc titulo timeri poſſunt fraudes, cum induſtria ipſius Familiaris obtineri poſſit, ac ſuo Domino cum fraudibus propinare.

346. Infertur VII. quod licèt Epiſcopus Beneficii nequeat inquirere de ordinibus, quos à ſe, vel ab alio Epiſcopo ſuſcepit ſubditus Beneficii, nec ei imponere ſuſpenſionis pœnam præſenti clauſula fulminatam, ex dictis, *n.* 335. poteſt tamen declarare dictum ſubditum incidiſſe in ſuſpenſionis pœnam, quæ ipſo facto à Satctiſſimo Innocentio in ſequenti clauſula *n.* 371. referenda, promulgatur.

347. Pro cujus intelligentia adnotandum eſt, præſenti Conſtitutione duplicem pœnam ſuſpenſionis indici, alia contra ſubditos originis, vel domicilii, qui ab alienis Epiſcopis promotos, à propriiſque citati, comparere reſiſtunt, hæcque eſt ferenda, & ſolum ab Epiſcopis originis, vel domicilii infligi valet, ex dictis *n.* 300. *&* *n.* 334. Alteram generalem contra omnes, qui ordines ſuſcipiunt, contraveniendo in totum, vel in partem diſpoſitioni præſentis Conſtitutionis, & contra ipſos Epiſcopos ſimiliter contravenientes, & hæc pœna eſt lata, ut ex dicendis *n.* 376. conſtabit.

348. Dicimus ergo, Epiſcopum Beneficii poſſe declarare, hanc ſecundam ſuſpenſionis pœnam incurriſſe ejus Beneficii ſubditum, caſu quo in aliqua parte præſenti diſpoſitioni in ejus promotione contravenerit; unde ſi cum fraude conſtare fecit congruam Beneficii eſſe ſufficientem, detractis oneribus, cum revera non eſſet, vel litteras Teſtimoniales proprii Epiſcopi, falſas tamen, præſentavit, aliaque hujuſmodi, ex quo Epiſcopo Beneficii de hujuſmodi tranſgreſſione conſtet, poteſt declarare, dictum ſubditum pœnam ſuſpenſionis à Sanctiſſimo ſequenti clauſula inflictam, incurriſſe.

349. Ratio eſt, quia ratione Beneficii obtenti in illius Diœceſi etiam ſi ad congruam non accedat, effectus eſt verus ſubditus ejus Prælati ad omnes effectus, citra ordines, hicque eſt legitimus ejus ſuperior, ac Ordinarius; ac legitimus ſuperior Ordinarius declarare valet, ſubditos ſuos legis trangreſſores, incurriſſe pœnas ab ipſa lege ipſo facto fulminatas, ut eſt certo certius: ergo convinctus hujuſmodi ſubditus trangreſſionis præ-

ſentis

ſentis Conſtitutionis, poterit ab ejus Epiſcopo declarari ſuſpenſus, ſuſpenſione inquam lata ſequenti clauſula.

DUBIUM II. *De uſu juriſdictionis inquirendi ſubditos*.

350. DUbio præcedenti vidimus, qui Epiſcopi, ac reſpectu quorum ſubditorum juriſdictione inquirendi gaudeant, nunc de uſu hujus juriſdictionis ſermo erit. Pro cujus intelligentia adnotandum eſt I. Juriſdictionem in præſenti clauſula commiſſam Epiſcopis originis, vel domicilii eſſe *ex officio*, unde partis inſtantia nõ expectata, procedere poſſunt adverſus ſuos ſubditos, ab alienis Epiſcopis promotos, ut ex verbis *num.* 330. recitatis colligitur.

351. II. Adnotandum, quod licèt præſenti clauſula facultas inquirendi concedatur utrique Epiſcopo originis ſcilicèt, & domicilii, non tamen eſt neceſſe quod ſimul inquirant, ſed quilibet eorum ſine alio habet in ſolidũ omnẽ facultatẽ inquirendi, ideoque in littera textus dicitur, *quilibet Epiſcopus*: ergo quilibet ipſorũ in ſolidum, & independenter ab alio dicta facultate gaudet.

352. Adnotandum III. Quod incepta cauſa, ſeu inquiſitione ab Epiſcopo domicilii V.G. nequit immiſceri originis Epiſcopus, nec è contra, immò ad invicem excluduntur, non ſolum in prima inſtantia, verum & appellationis via: Undè ſemel quod Epiſcopus domicilii inquirere cœpit de ſuo ſubdito, ab alieno Epiſcopo promoto, ab eo terminanda eſt cauſa, etiam ſi ante cauſam terminatam, ad alium Epiſcopum dictus ſubditus interpellaret, quia quidquid efficeret, nullius roboris, eſſet, *ex cap. cum plures, de officio delegati, in 6.* & ibi Doctores, ubi deciditur, quod quando juriſdictio pluribus in ſolidum committitur, juriſdictio perpetuatur, cum omnimoda aliorum excluſione, in eo, qui primò cauſam incepit.

353. Conſtat etiam *cap. ſi quis juſto, de electione in 6.* ubi quando quis pluribus in ſolidum vocem ſuam activam ad eligendum committit, vox activa conceditur ei, qui primò locum ad eligendum occupavit, favetque *cap. qui prior eſt tempore, de regulis juris in 6.* cum ergo in noſtro caſu facultas inquirendi, in ſolidum committatur Epiſcopis originis, vel domicilii, juriſdictio perpetuabitur in illo, qui primò cauſam incœpit. De quo videndus

dus Salgado *de retentione Bullarum, part. 1. cap. 10. §. unico, à n. 5.*

354. Hocque procedit, licèt Epiſcopus, qui inquirere cœpit, ante cauſæ expeditionem, lite tamen conteſtata, moriatur, quia ut conſtat *ex cap. quoniam Abbas, de officio delegati*. cum juriſdictio Dignitati, & non Perſonæ delegatur, quamvis perſona è vita deceſſerit, non ideo juriſdictio ceſſat, ſed expectandus eſt ſucceſſor in Dignitate ut cauſam, quam anteceſſor inchoavit, terminet: cùm ergo in noſtro caſu Facultas inquirendi committatur dignitati Epiſcopali, hæcque immortalis ſit, licèt perſona moriatur, non ideo juriſdictio dignitati commiſſa, ceſſat, ſed expectandus ſucceſſor, qui cauſam à Prædeceſſore inchoatam, terminet.

355. Sed quando verè cauſa erit inchoata, ſeu conteſtata lis, an ſcilicèt ad litem conteſtandam ſufficiat quod Judex citationem expedierit, an quod citatio parti intimetur, graviſſima eſt in utroque Jure difficultas, nam *in cap. Gratum, de officio delegati*, inſinuari videtur, quod ut lis conteſtata maneat, ſufficit ſi Judex citationem expediat, licèt hæc parti intimata non fuerit, huique opinioni expreſſe adhæret Barboſa *ad dictum cap. n. 5.* Contrarium tamen colligitur *ex cap. relatum eod. tit.* ubi declaratur; quod ſi Judex ante litem conteſtatam deceſſerit, juriſdictio ceſſat; lis autem non conteſtatur ante intimatam parti citationem, vel perſonæ immediate, vel per edictum, ut docet Gonzalez Tellez *ad dictũ cap. n.4.* In qua diverſitate praxis Tribunaliũ præcipuè attendenda erit, nec amplius in hoc immorandum.

356. His ſuppoſitis, quod ad noſtrum inſtitutum præcipue pertinet eſt de modo exercendi prædictam Facultatem, ut litigia, quæ confuſione juriſdictionis oriuntur, evitentur: In qua difficultate duplex via ſe offert diſputanda. Alia eſt per citationem, prædictos ſuos ſubditos ab alienis Epiſcopis promotos, vocando, altera eſt eos expectando, quod ad ſuam Diœceſim redeant, quando ipſi litteras ſuæ ordinationis præſentare tenentur, & tunc de eorum ordinibus inquirere, & hanc ſecundam viam ſequendam, tenet D. Lamperez *n. 449.*

357. Sed ut de prima via loquamur, advertendum eſt, eſſe maximam controverſiam inter Canoniſtas, & Theologos, an Domini Epiſcopi citare valeant ſuos ſubditos extra ſuas Diœce-

ſes

ſes exiſtentes. Diana *part.* 5. *tract.*9. *reſolut.* 34. negativæ adhæret, niſi dicti Epiſcopi conſuetudine, vel privilegio citandi, adhuc exiſtentes extra ſuam Diœceſim, ſint ſuffulti. Ex qua doctrina non improbabile apparet, Dominis Epiſcopis originis, & domicilii, pro inquirendo de ordinibus ſuorum ſubditorum, ab alienis Epiſcopis ſuſceptis, in præſenti clauſula privilegium concedi, quod citare valeant prædictos ſubditos, etiam ſi extra ſuam Diœceſim exiſtant, iſtique comparere tenentur, vel ſi nollint, ut contumaces pœna ſuſpenſionis, in præſenti clauſula indicta, mulctandi.

358. Moveor, quia prædicta Facultas Epiſcopis antedictis conceditur, *ut quibuſcumque fraudibus aditus omnino præcludatur*; at ſi Epiſcopi originis, vel domicilii citare prædictos ſubditos extra ſuos Territorios commorantes, in noſtro caſu, non valerent, fraudibus quibuſcumque aditus omnino non præcluderetur, poſſent enim dicti ſubditi res ita diſponere, ut refluere ad Diœceſes ſuorum propriorum Prælatorum non egerent: ergo caſu quo contra diſpoſitionem præſentis Conſtitutionis promoti fuiſſent, ac ad proprium ſolum non redderent, prædicta Facultate nõ omnibus fraudibus occurrebatur omninò, ſicut cum Facultate citandi ſubditos extra proprium territorium exiſtentes, occurritur: ergo non improbabile apparet in præſenti clauſula ſimilem Facultatem Dominis Epiſcopis originis, vel domicilii concedi.

359. Sciendum eſt tamen, quod licèt Facultas inquirendi in noſtro caſu, præſenti clauſula concedatur Epiſcopis originis, & domicilii, poſſunt nihilominus iſti aliis committere, ut ſuo nomine de ordinibus prædictorum ſubditorum inquirant; hæc enim juriſdictio eſt delegata, voluntaria, & quæ lege dictis Epiſcopis competit, quibuſque caſibus aliis delegari valet ut docent Covarrubias, *lib.* 3. *variarum*, *cap.* 20. *n.* 6. *&* 10. Barboſa, *cap. Paſtoralis*, *n.* 2. *de officio delegati*, *cap. cauſam*, *n.* 4. *de appellationibus*, *cap. officium*, *n.* 3. *de officio Sacriſtæ*. Sed quia dicta Facultas Facultativâ eſt, non delinquent Domini Epiſcopi, licèt non inquirant, præcipuè ſi rationibus dubitandi de doloſis promotionibus ſuorum ſubditorum careant.

Nec dicti Domini Epiſcopi fulminare ſentenriam ſuſpenſionis poterunt adverſus proprios ſubditos, qui ab alienis Epiſcopis

pis promoti fuerunt, niſi certò ipſis conſtet in eorum ordinatione tranſgreſſam præſentem Conſtitutionem: Unde ſi Epiſcopus Beneficii alienum ſubditum promovit titulo ſatis probabili, adhuc inſpecta præſenti Conſtitutione, non poterit Epiſcopus proprius in hoc caſu pœnam ſuſpenſionis in præſenti conſtitutione expreſſam fulminare, adverſus prædictum ſubditum; tum quia neceſſe erat, quod Epiſcopus ordinans in ſua ordinatione contraveniret præſenti Conſtitutioni, & qui opinione ſatis, ea inſpecta, probabili, operatur, præſenti Conſtitutioni nequit conrravenire: Tum quia, qui operatur opinione probabili, judicans ſe rectè operari, licitè & rectè operatur; niſi circa materias, aut formas Sacramentorum operetur, in his enim ſecurior ſequenda eſt, ut communiter docent Doctores: cum ergo noſter caſus non ſit de materia, vel forma Sacramenti ordinis, opinio ſatis probabilis ſufficiet ad rectè, & licitè operandum: qua ergo via pœna dignus erit, qui rectè operatus fuit.

Undè ad condemnandum proprium ſubditum, non ſufficiet, quod ejus proprius Epiſcopus contrariam opinionem probabiliorem judicet judicio directo; ſed talem judicare debet judicio reflexo, quo ſibi perſuadere debet, neminem condemnandum, niſi probationes clariores luce meridiana fuerint. *leg. fin. C. de probationibus*, & qui opinione ſatis probabili promotus fuit, non eſt ſole clarius, deliquiſſe, ſicque nec condemnandus. Vide noviſſimam ſummam 9. partium Leandri, *à num. 2968.* ubi eruditiſſimè RR. Emmanuel à Conceptione explicat ſic ſecundam ex damnatis propoſitionibus ab Innocentio XI. In omni tamen caſu ſive inquiſitio fiat ab Epiſcopo, ſive ab ejus Commiſſario, facienda eſt gratis, ſic enim expreſsè præſenti clauſula præcipitur Epiſcopis, à quibus in Cōmiſſarios tranſit, nam res omnis cum ſuo tranſit onere, *cap. nemo poteſtat. de regulis Juris in 6.*

360. Hinc tamen oritur dubum, an ſi Domini Epiſcopi gratis in noſto caſu non inquirerent, pœnis præſentis Conſtitutionis ſubjacerent. Ratio dubitandi hæc eſt, nam in præſenti Conſtitutione verbis infra *num. 371.* recitandis, diſponitur, quod ſi ordinans, aut ordinatus præſenti Conſtitutioni, ſeu in ejus aliquo, contravenerint, ordinans quidem à collatione or-

dinum per annum ſit ſuſpenſus eo ipſo; at ſi gratis non inquirant, parti ſuperioris diſpoſitionis contravenient, ergo.

361. Sed nihilominus contrarium tenendum eſt, ſcilicèt, quod etſi Domini Epiſcopi gratis non inquirerent, latam ſuſpenſionis pœnam, à Sanctiſſimo Innocentio præſenti Conſtitutione inflictam, non incurrerent; ea enim indicitur Ordinatori, & ordinato contravenientibus in his, quæ ad collationem, & ſuſceptionem ordinum reſpiciunt; inquirere autem ſupponit ordines receptos: ergo inquirendo non gratis, licèt ultioni divinæ, ut loquitur Tridentinum *ſeſſio.21.cap.1.de reformat.* ſupponerentur, à pœnis tamen præſentis Conſtitutionis immunes eſſent.

362. Advertendum tamen eſt, quod in noſtro caſu, non ſolum Epiſcopi, quibus facultas inquirendi conceditur, ſed nec eorum Miniſtri, ac Notarii, etiam ſi his nullum ſit ſalarium Conſtitutum, pro hujuſmodi inquiſitione quidquam exigere debent, ſed omnino gratis inquſitio facienda eſt, cum præſenti Conſti tutione nullus excipiatur, ſicut Tridentinum citatum Notarios excepit. Super quo vigilare debent Prælati, ne conſuetudo quæ contra Tridentinum in ſimili inolevit, quæque à Tridentino corruptela vocatur, avaritia Miniſtrorum in inquiſitionem præſentem etiam irrepat.

DUBIUM III. *An Prælati nullius Diœceſis, vel capitulum Sede vacante inquirere de ordinibus ſubditorum valeant.*

363. SErmo in præſenti eſt, quando ordinatus, origine, & domicilio ſubditus eſt nullius Diœceſis, vel Capituli ſede vacante, nam ſi prædictus ordinatus ſubditus fuerit origine Prælati nullius Diœceſis, aut Capituli, domicilio tamen eſt ſubditus alicujus Fpiſcopi, vel è contra, nequit, Prælatus nullius Diœceſis, nec Capitulum de ordinibus antedicti ſubditi inquirere; hæc enim facultas conceditur Epiſcopis originis, vel domicilii: ergo quolibet iſtorum ſtante, ad ipſum facultas inquirendi de ordinibus talis ſubditi privativè pertinet. Undè dubium ſolummodo eſt, quando prædictus, ordinatus origine, & domicilio Prælati nullius Diœceſis, vel Capituli ſubditus eſt.

364. Reſpondetur I. Prælatos nullius Diœceſis in ullo caſu poſſe inquirere, ex vi præſentis Conſtitutionis, de ordinibus ſuo-

ſuorum origine, & domicilio ſubditorum, ab alienis Epiſcopis ſuſceptis. Patet, quia vel dicti Prælati habent Facultatem concedendi Dimiſſorias ſuis ſubditis, hoſque ad Epiſcopos remittere, vel non? ſi habent, cum ipſis de legitimitate tituli, quo promoti fuerunt, conſtet, otioſa eſſet inquiſitio: ſi non habent, cum facultas inquirendi concedatur dumtaxat Epiſcopis, hacque dignitate Prælati nullius Diœceſis minimè gaudeant, nec inquirere valebunt. Idem, & propter eandem rationem dicendum, licèt prædicti ſubditi in aliena Diœceſi Beneficium obtinerent, ac ab ejus Epiſcopo ordines ſuſciperent ſine Dimiſſoriis Prælati nullius Diœceſis.

365. Nec obſtat I. quod Prælati nullius Diœceſis in ſuis Territoriis gaudent ea omni juriſdictione, qua Domini Epiſcopi in ſuis Diœceſibus gaudent, ut colligitur *ex Clementina Monaſteriorum*, *de rebus Eccleſiæ non alienandis*, & docent Sanchez *de Matrim. lib. 8. cap. 2. n. 13.* Aſcanius, Tamburinus *de Jure Abbat. tom. 2. diſp. 1. quæſt. 5. n. 7.* quia id eſt verum de illis rebus, quæ ſecundum Jus, communes ſunt omnibus Prælatis, non de illis, quæ ſpecialiſſimè Epiſcopis, intuitu ſuæ Dignitatis delegantur, qualis eſt præſens facultas, aliter non delegaretur ipſis ſub nomine Epiſcoporum, ſed ſub nomine Prælati, vel Ordinarii: ergo Prælati Dignitate Epiſcopali non fulgentes, hac facultate minimè gaudent.

366. Nec obſtat II. quod præſens clauſula eo tendit, ut fraudes omnino excludantur, at ſi Prælati nullius Diœceſis prædicta facultate inquirendi carerent, fraudes omnino non excluderentur; ſubditi enim origine, & domicilio nullius Diœceſis, ſcientes quod à ſuo Prælato origine, & domicilio de ſuſceptis ordinibus inquiri non poſſunt, facile fraudes pro obtinendis ordinibus in aliena Diœceſi intenderent. Non obſtat inquam, quia cum præſens facultas inquirendi delegetur Epiſcopis intuitu ſuæ Dignitatis, nequit eam exercere, qui Epiſcopali Dignitate non pollet, ut colligitur *ex cap. Quoniam Abbas citat.* & ratio eſt, quia quod Prælatus in Dignitate inferior cognoſcat de actis à Prælato Dignitatis ſuperioris, inficiantur Jura, *cap. Summittitur*, *& cap. in tantum*, 21. *diſtinct.* Undè pro coërcendis fraudibus, quæ imminere poſſunt in noſtro caſu,

ſu, ſufficit ſuſpenſio à Sanctiſſimo ipſo facto promulgata, vel ſi hæc non ſufficiat pro prædictis ſubditis coërcendis, eorum Prælati Sedem Apoſtolicam interpellant, à qua facilè remedium obtinebunt.

367. Ex his infertur, quod licèt Titius V. G. Subditus origine, & domicilio ſit Prælati nullius Diœceſis, obtineatque Beneficium in Territorio alterius etiam nullius Diœceſis, hicque concederet Dimiſſorias, ut titulo Beneficii, in Territorio obtenti, ab Epiſcopo ordinaretur, ordinatus jam Titius adhuc hoc modo, non poſſet Prælatus Titii origine, & domicilio inquirere de ordinibus ſuſceptis, tum quia non eſt Epiſcopus, tum quia licèt qui Dimiſſorias Titio conceſſit, ratione quarum ordines ſuſcepit, non ſit ſuperior in Dignitate, tamen Epiſcopus, qui illum ordinavit, ſuperior eſt, hocque ſufficit, ut de ordinibus ſuſceptis nequeat inquirere.

368. Reſpondetur II. Nec Capitulum Sede vacante facultate inquirendi, in noſtro caſu, ex vi præſenti Conſtitutionis gaudet, quia id committitur Epiſcopis, & Epiſcopus non eſt. Et licèt Capitulum Sede vacante ſuccedat in omnibus Juribus Epiſcopi, *cap. de his*, *cap. olim de majoritate*, *& obedientia*, *cap.* 1. *&* 3. *eodem titulo in* 6. ſuccedit inquam, ut docet Gonzalez Tellez *in* 1. *Decretal. tit.* 29. *cap.* 14. *n.* 9. cum communi in juriſdictione ordinaria Epiſcopi, non in delegata ipſi Epiſcopo intuitu ſuæ Dignitatis, & quam non principaliter, ſed valde per accidens habet, qualis eſt facultas iſta inquirendi, ideoque Capitulo Sede vacante intraſmiſſibilis eſt.

369. Illuſtratur hoc eleganti doctrina, quam pro præſenti adducit Molina *tom.* 6. *de juſtitia, tract.* 5. *diſp.* 11. *num.* 8. *&* 9. ubi ait, quod quando delegatio perpetua conceditur Epiſcopo ratione muneris Epiſcopalis, ſedis vacantis tranſmittitur Capitulo, dummodo contrarium ex mente delegantis non conſtet: Cæterum nullatenus Capitulo tranſmitti, quando ea delegatio conceditur Epiſcopo intuitu ſuæ dignitatis; cum ergo facultas inquirendi præſenti Conſtitutione delegetur Epiſcopo ratione ſuæ digitatis, ex ſæpe dictis, & non deceat, quod qui inferior in dignitate eſt, de ſuperiori in Dignitate cognoſcat, fit inde quod facultas inquirendi in noſtro caſu ita connexa eſt

cum

cum dignitate Epiſcopali, ut non Epiſcopis intranſmiſſibilis ſit. Videatur Barboſa *Jur. Univer. lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 107.

# Pœnæ Impoſitæ

## QUÆSTIO VI.

*De Pœnis Statutis adverſus eos, qui præſenti diſpoſitioni in totum, vel in partem contraveniunt.*

370. LEgum obſervantia pendet præcipuè, ex pœnis quæ adverſus tranſgreſſores, ipſis legibus, fulminantur: Ideo Sanctiſſimus Innocentius poſtquam in præmiſſis formam inviolabiliter obſervandam in promotione ad ordines, dedit, pœnas in præſenti ſtatuit, quas tranſgreſſores præmiſſorum, ſeu eorum aliquo; incurrent, quaſque ſequenti clauſula exprimit.

371. *Ita vero præmiſſa omnia, & ſingula perpetuò ac inviolabilitèr obſervari, atque adimpleri volumus, ut ſiquid in iiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo, ſecus fiat, Ordinans quidem à collatione ordinum per annum, ordinatus vero à ſuſceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit. Aliiſque inſuper gravioribus pœnis pro modo culpæ, Noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque ſubjaceat. &c.*

### DUBIUM I. *Quando, & quomodo prædictæ Pœnæ incurrantur.*

372. NOta I. Pœnas præſenti clauſula inflictas, fulminari dumtaxàt adverſus Epiſcopum ordinantem, ſubditoſque ordinatos, qui in collatione ordinum, aut eorum ſuſceptione, in præmiſſis diſpoſita, in totum, vel in partem tranſgrediuntur. Nomine Epiſcopi ordinantis intelligitur, qui mediis ſuis Dimiſſoriis ſubditum ſuum ad alterum Epiſcopum, ut ab iſto ordines recipiat, remittit, cum pœna quæ contra ordinatorem infligitur, adverſus concedentes ad ordines Dimiſſorias illata procedit. Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 20. *n.* 21. ſed notandum, quod licet Epiſcopus originis, vel domicilii negligentia, immo malitia, de ſuis ſubditis ab alienis Epiſcopis promo-

tis,

tis, non inquirerent, pœnas in præſenti ſtatutas, evaderent; quia eſtò prædictæ pœnæ fulminentur adverſus illos, qui in totum, vel in partem præmiſſas diſpoſitiones tranſgrediuntur, & Epiſcopus negligentia, vel malitia, non inquirens de ordinibus ſuorum ſubditorum, ab alienis Epiſcopis ſuſceptis, cuique conſtat, tranſgreſſione præſentis Conſtitutionis ſuſcepiſſe, in hac parte videatur præſenti Conſtitutioni contraveniſſe;quia tamen prædictæ pœnæ ſolummodo fulminentur adverſus ordinantem, & ordinatum qui præmiſſas diſpoſitiones trangreſdiuntur in eo, quod ad collationem, ſuſceptionemque ordinum attinet, & inquirere de ordinibus ſuſceptis, ad collationem, ac ſuſceptionem ordinum nō pertineat,fit inde,quod Epiſcopi in noſtro caſu licet non inquirerent, pœnis in præſenti ſtatutis minime ſubjacerent.

373. Noto II. quod in duplici clauſula præſentis Conſtitutionis, pœnæ infliguntur, tum contra male promotos: tum contra hos, & Epiſcopos perperàm promoventes. De primis loquitur clauſula ſupra *n.* 330. recitata ubi diſponiturquod ſi Epiſcopus originis,vel domicilii ſuos ſubditos,ab alienis Epiſcopis promotos,monuerit,quod,Teſtimonialia ordinum receptorum exibeant, & noluerint: ſuſpendere pro ſuo arbitrio valeat.

374. De ſecundis pœnis loquitur præſens clauſula, ſupra *n.* 371. poſita, ubi ipſo facto pœna ſuſpenſionis infligitur, tum Epiſcopo contra præmiſſa ordinanti, tum ordinato, ac inſuper uterque ſubjacet gravioribus pœnis, pro modo culpæ, à præſenti, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice infligendis. His ſuppoſitis, quæritur, quando prædictæ pœnæ incurrantur, id eſt, an ante ſententiam condemnatoriam, & declaratoriam, an vero ut incurrantur non ſolum in foro externo, verùm, & in conſcientiæ foro præcedere debeat ſententia, ad minus declaratoria criminis, Judicis competentis.

375. Reſpondetur I. pœnam ſuſpenſionis de qua in clauſula ſupra *n.*330. & reaggravationes pœnarum, quæ in præſenti clauſula comminantur tum Epiſcopo ordinanti tnm ſubdito ordinato contra diſpoſitionem præſentis Conſtitutionis,non incurrunt ante ſententiā condemnatoriam Judicis. Patet,quia una, & altera pœna ſunt ferendæ,quæ ante ſententiam condemnatoriam non ligant,ut uniformiter Theologi,& Canoniſtæ docent.

376. Reſ-

376. Reſpondetur II. Pœna ſuſpenſionis fulminata in præſenti clauſula *n.* 371. recitata, adverſus Epiſcopum ordinantem ſubditumque ordinatum, tranſgreſſores præſentis Conſtitutionis, incurritur ipſo facto & ante omnem ſententiam, etiam criminis declaratoriam, ac etiam ſi delictum occultum ſit, nec probari valeat; Probatur, quia ut docent communiter DD. inter cenſuras, & alias pœnas hæc eſt diverſitas, quod cenſuræ ante omnem ſententiam, etiam criminis declaratoriam, incurruntur, dummodo ipſo facto fulminentur; non ſic aliæ pœnæ, quæ etſi ipſo facto, ante omnemque ſententiam etiam criminis declaratoriam fulminentur, ante ſententiam Judicis declaratoriam ſaltem criminis, minimè incurruntur. Ita Palao *part.* 1. *tract.*3. *diſput.*2. *punct.* 2. *n.*5. *&* 8. Mag. Murga, *diſquiſit.*1. *dub.* 13. *n.*38. Molina, *tom.*1. *de Juſtitia, tract.* 2. *diſput.*96. *§. ut vero.*

377. Rationem autem dedit Palao, tum quia ſic uſu receptum eſt, tum quia conveniens erat, quod Eccleſia, quæ ad commodum ſpirituale ſuorum ſubditorum maximè attendit; haberet poteſtatem eos cenſuris ligandi propter crimina etiam occultiſſima, ut hac via ab eis patrandis ipſos ſubditos coërceret, ac retraheret: Cum ergo ſuſpenſio, quæ in noſtro caſu, præſentique clauſula fulminatur, ſit cenſura, ac *eo ipſo*, id eſt, *ipſo facto* fulminetur, ante omnẽ ſententiam, etiã declaratoriã, incurretur.

378. Sed dices. Pius V. privavit ipſo facto Clericum crimen nefandum exercentem, omni officio, & Beneficio, & nihilominus Diana, *part.* 2. *tract. miſcellan. reſolut.* 69. *part.* 7. *tract.* 5. *reſolut.*17. 18. *&* 27. *part.*12. *reſolut.*56. & RR. Emanuel à Conceptione *in Summa noviſſima operum RR. Leandri à Sacramento*, *n.* 1010. docent, quod in foro conſcientiæ non incurritur prædicta Pii V. Suſpenſio ante ſententiam declaratoriam criminis: ergo nec in noſtro caſu.

379. II. Si ſuſpenſio *eo ipſo* fulminata in præſenti clauſula ligaret ante ſententiam declaratoriam criminis, ſequeretur quod facultas, quæ præſenti Conſtitutione conceditur Epiſcopis originis, & domicilii, ut pro ſuo arbitrio poſſint ſuſpẽdere ſuos ſubditos, ab alienis Epiſcopis promotos, contra præſentis Conſtitutionis diſpoſitionem, eſſet illuſoria: ſi enim ipſo facto, qui perperàm ordinati fuerunt, ſuſpenſione ligantur, quando veniet ca-

ſus,

ſus, quo ab Epiſcopo proprio ſuſpenſione ligari valeant, certè numquam: ergo eſſet illuſoria prædicta facultas.

380. Et licèt verùm ſit, quod alia eſt ſuſpenſio à Jure, & altera ab homine, ſuſpenſuſque à Jure, ab homine poſſit ſuſpendi propter idem delictum, titulum, ac cauſam, neceſſarium eſt tamen, quod eidem cauſæ addatur contumacia, aliavè circunſtantia, culpam aggravans, aliter ſuſpenſio reiterari nequit, ut docent Panormitanus, *cap. de cauſis, de officio delegati, n.* 14. Eximius Suarez *de cenſuris diſp.* 5. *ſect.* 2. *n.* 13. ergo ceſſante in noſtro caſu contumacia, aut altera circunſtantia, quæ culpam, in ſic promoto, aggravaret, non poſſet ab Epiſcopo ſuſpendi, ſicque ejus facultas illuſoria eſſet.

381. III. Suſpenſio in præſenti clauſula fulminata, non eſt abſoluta, cum ſit pro tempore, quo proprio Ordinario expedire videbitur: ergo antequam tempus, quod ſuſpenſio durare debet, declaretur, ſuſpenſio non incurretur; at tempus præfiniri ab Ordinario nequit ante ſententiam ſaltem criminis declaratoriam, ab ipſo Ordinario faciendam: ergo nec ſuſpenſio præſentis clauſulæ ligabit ante ſententiam ſaltem declaratoriam, Eſt dicere: Suſpenſio in præſenti clauſula non fulminatur abſolutè, ſed cum addito, ſcilicèt pro tempore, quo proprio Ordinario expedire videbitur: ergo non ante incurritur, quam de tempore, quo durare debet, conſtet; at de tempore nequit conſtare ante ſententiã Ordinarii: ergo nec ſuſpenſio, quæ tempus cõmittatur, ligabit ante dictam ſententiã: ergo ipſo facto minimè incurritur.

382. Ad I. Reſpndetur I. cum Filliucio. Pium V. in præcitata ejus Conſtitutione, adverſuſque prædictos Clericos non fulminaſſe ſuſpenſionem, nec alteram cenſuram, ſicque non eſſe noſtrum caſum. Reſpondetur II. Quod & ſi verbis illis *ab omni officio privamus* ſuſpenſionis cenſura intelligatur, argumentum nihilominus non convincit, quia id ſolùm arguit, prædicta Pii V. Conſtitutione fulminari ſuſpenſionem, aliaſque pœnas, quarum ſuſpenſio ipſo facto incurritur, cœteræ autem minimè ante ſententiam criminis declaratoriam, nam quando cenſuræ, & aliæ pœnæ, ſimul ipſo facto infliguntur, cenſuræ ipſo facto ligant, non autem cæteræ pœnæ; ſic Tridentinum *ſeſſio.* 25. *cap.* 19. *de reform.* excõmunicationem, ac alias pœnas ipſo facto indicit

his,

his, qui duellum admittunt, è quibus excommunicationem ipſo facto Duellatores incurrunt, non autem alias pœnas, ut tenet d. ctus RR. Emmanuel à Conceptione, *tom. 9. oper. Leandri. tract. 5. diſp. 3. quæſt. 17. verſ. Reſpondeo neganda*, cum aliis.

383. Ad II. Reſpondetur, facultatem in hac clauſula Epiſcopis propriis conceſſam, minimè eſſe otioſam, cum ſi verba ipſius *n.* 330. relata, perpendas, pœnam ſuſpenſionis, quam Epiſcopi originis, & domicilii adverſus proprios ſubditos, ab alienis Epiſcopis promotos, infligere valent, præcipuè tendit ad puniendam inobedientiam prædictorum ſubditorum, qui vocati, & tempore competenti aſſignato, ut compareant, comparere noluerunt: optimèque cohærent, pœna ſuſpenſionis ipſo facto à Sanctiſſimo in ſequenti clauſula fulminata, adverſus alienum ſubditum, qui contraveniendo præſenti Conſtitutioni, promovetur, & facultas in proprio Epiſcopo ad fulminandam novam ſuſpenſionem, propter ejuſdem ſubditi inobedientiam; ſunt etenim crimina diverſa, ſicque duplici ſuſpenſionis pœna valent puniri: Hæcque eſt doctrina Panormitani, & P. Suarez ſupra citati.

384. Ad III. reſpondetur, quod ly *quandiu proprio Ordinario videbitur expedire* in præſenti clauſula poſitum, non reſpicit ſuſpenſionem, ut infligendam, ſed ut jam inflictam, & eſt ac ſi diceret, ſuſpenſio qua tranſgreſſor præſentis Conſtitutionis ligatur ipſo facto, durabit, *quandiu proprio Ordinario expedire videbitur*; ex quo duratio ſuſpenſionis nō comitatur ſuſpenſionem incurrendam, ſed ipſam jam incurſam ſupponit, unde fit, quod licèt tempus quo durare debet, à ſententia pendeat, non tamen ipſa ſuſpenſio.

385. Ex his infertur, quod prædicta ſuſpenſio toties incurritur, quoties tranſgreſſio replicatur: Quare ſi Titius contra præſentis Conſtitutionis diſpoſitionem ordinem Oſtiarii ſuſcepit, ſuſpenſionem ipſo facto incurrit, hancque replicat, cæteros ordines cum ipſa tranſgreſſione ſuſcipiendo, ita ut quot fuerint ordines ſuſcepti, tot erunt ſuſpenſiones in quas ipſo facto incurrat. hocque verum eſt, licèt unica ordinatione plures ſuſcipiat ordines, ſunt enim actus ex ſe diverſi, quique accidentaliter ſolummodò uniuntur.

386. Sed tamen ſuſpenſus, eo quod primum ordinem indebitè ſuſcepit, alios recipiendo, licèt nova ſuſpenſione ligetur, irregularitatem non incurrit, dummodo actus proprios anteſuſcepti ordinis in ſuſceptione poſterioris, non exerceat. V. G. ſi Subdiaconus ſuſpenſus Diaconatum ſuſciperet, in hujuſque ſuſceptione Epiſtolam tamquam Miniſter, vel Subdiaconus caneret, irregularis fieret, ſecus ſi tamquam Miniſter non caneret. Ita Bonacina, *tom.* 1. *tract. de irregularitate diſp.* 7. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *n.* 2. *& tom* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 6. *num.* 3. Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 79. cum aliis apud iſtos videndis.

387. Probatur I. etenim irregularitas non incurritur niſi in caſibus in Jure expreſſis, *cap. is qui*, *de ſententa excommunicationis in* 6. at in Jure nullibi fulminatur irregularitas his, qui ſuſpenſi in uno ordine, aut interdicti, ad alium promoventur, ut docet Bonacina citatus, ſed ad ſummum irregularitas indicta eſt Clericis ſecularibus, qui vinculo excommunicationis majoris ligati, ad ordines promoventur, *cap. cum illorum*, *de ſententia excommunicat.* ergo. Vide Enriquez *lib.* 14. *cap.* 6. *n.* 4. *in fine*, *juncta litt.* X. ubi fatetur valde probabilem eſſe hanc ſententiam, licèt *lib.* 13. *cap.* 43. *n.* 3. contrariam deffenſaverit, & rationem dedit, *ne pœna irregularitatis extendatur ultra caſum expreſſum*.

388. Dixi, quod ad ſummum irregularitas indicta eſt Clericis ſecularibus, qui excommunicatione majori ligati, ad ordines promoventur *ex d. cap. cum illorum.* P. enim Givalinus *de irregularitate*, *cap.* 5. *quæſt.* 2. *pag.* 341. ſolummodo ſuſpenſionem prædictos Clericos, & non irregularitatem, incurrere, affirmat, nec alia pœna ex citat. *cap. cum illorum* infertur. Pro quo explicando pulchram regulam ad dignoſcendum, quando Jura irregularitatem, quando autem ſolam ſuſpenſionem infligunt, inibi indigicat; ait enim, quod effectus principalis irregularitatis eſt aſcenſum ad ſuperiores ordines repellere, impedire autem ſuſceptorum exercitium, eſt in irregularitate effectus minus præcipuus, ac veluti ſecundarius: è contra verò ſuſpenſio, quæ pro effectu principali tendit ad impediendum uſum ordinum ſuſceptorum, ac minus præcipuè futurorum ſuſceptionem interdicit: Undè illi Canones, qui principaliter prohibent

bent futurorum ordinum ſuſceptionem, irregularitatem fulminare intelligendum eſt; ſi tamen uſum ſuſceptorum impedire principalius prohibent, ſuſpenſionem ſolummodò incidere judicandum eſt: cum autem *cap. cum illarum cit.* eò tendat, ut prædictos Clericos, qui excommunicatione majori ſunt ligati, ad ordines promoventur, ab exercitio ſuſceptorum ordinum perpetuò impediat; hinc eſt, quod vi præcitati capitis, ſuſpenſionem, & non irregularitatem incurrunt.

389. Probatur II. noſtrum aſſertum, nam ſuſpenſus, aut interdictus ad unum actum, nec interdictus, nec ſuſpenſus eſt ad alium: ſic interdictus ad celebrandum in Eccleſia, ad celebrandum extra Eccleſiam minimè interdictus eſt. Bonacina, *tom. 3. quæſt. 5. punct. 1. §. 2. n. 9.* Epiſcopus ſuſpenſus ad ordines minores conferendos, non eſt ad conferendos majores ſuſpenſus, & ſic in multis aliis caſibus videndis apud Diana, *part. 5. tract. 10. reſol. 1. 2. 3. 5. 6. & 86.* cum ergo in noſtro caſu, qui ordines ſuſcipit contra diſpoſitionem præſentis Conſtitutionis, ſuſpenſus ſolummodò maneat, ac ſuſpenſio ex ſe ſolum exercitium ordinum ſuſceptorum ſuſpendat, non autem futuros recipere, licèt hos recipiat, irregularis non manebit.

390. Quod autem, ſi ſic ſuſpenſus, ordinem ſuſceptum exerceat in ſuſceptione ordinis ſuperioris, irregularis maneat, conſtat; *cap. ſi quis, de ſentent. excomunic. in 6. cap. cum æterni, de ſententia, & re judicata, in 6. cap. ſi quis de Clerico excomunic. miniſtrante.* Advertit tamen Bonacina citat. *tom. 1. diſput. 3. de ſuſpenſione, punct. 4. n. 5.* ad incurrendam prædictam irregularitatem, opus eſſe exercere ordines majores ex officio, & ſolemniter, unde qui minores exerceret, irregularitate non innodaretur, nec qui majores non ſolemniter, ut ſi Subdiaconus Epiſtolam ſine Manipulo caneret.

## DUBIUM II. *Quæ ignorantia eximat ab incurſu pœnarum præſenti Conſtitutione indictarum.*

391. Indubitatum eſt apud Doctores, ignorantiam pœnæ ab ejus incurſu liberare, ſed quia ignorantiæ variæ ſunt, nonque omnes à pœnis eximant, ideo qualis liberet, in præſenti diſſeremus. Certum eſt apud Doctores, qualemcum-

que ignorantiam cenſuræ, vel pœnæ, dummodo ſupina, craſſa, aut affectata non fuerit, ab incurſu illarum liberare: Excipe tamen ab hac generali regula irregularitatem ex homicidio voluntario ortam; hæc enim incurritur, eſtò invincibiliter ignoretur, irregularitatem prædicto homicidio eſſe annexam, Diana *part.* 12.*reſolut.* 104. *verſ. ſed hic etiam nota*.

392. Doctrina hæc generalis fundatur *in cap. ut animarum, de Conſtitutionibus in* 6. ubi declaratur, quod ab omnibus ſententiis ab Ordinariis promulgatis, ignorantia, dummodo ſupina, vel craſſa non fuerit, eximit; circa quod decretum ſciendum eſt, quod nomine *ſententiis*, quo citatum utitur caput, intelliguntur cenſuræ per modum legis promulgatæ, qualis noſtra eſt, & nomine *Ordinarii* ibidem inſerto, intellige non ſolum Epiſcopos, hiſque inferiores, verum, & ſummum Pontificem, qui per antonomaſiam Ordinariorum Ordinarius appellatur, ut docet Sylveſter *V. ignorantia. quæſt.* 8. *diſt.* 3. Pax Jordanus, *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 150. His notatis.

393. Reſpondetur I. Quælibet ignorantia, dummodo ſupina, aut craſſa non fuerit, eximit ab incurſu cenſuræ ſuſpenſionis in præſenti Conſtitutione fulminatæ adverſus ejus tranſgreſſores. Idem dicendum, licèt tranſgreſſores pœnam dictam non ignorent, dummodo tempore tranſgreſſionis in oblivionem labantur, aut advertentia, actualique conſideratione careant, vel cum actuali inconſideratione operentur. I. pars conſtat ex communi Doctorum doctrina. Secundam docent PP. Suarez, Azor, Sanchez, Dicaſtillo, & Moja, *tom.* 1. *ſelect. tract.* 3. *diſp.* 8. *quæſt.* 2. *num.* 8. eo quod oblivio, inadvertentia, actualiſque inconſideratio invincibili ignorantiæ æquiparantur; ergo ſi hæc eximit, quod certum eſt, & illæ eximent. Difficultas eſt an ſupina, & craſſa in præſenti liberent.

394. Reſpondetur II. Valde probabile eſt craſſam ignorantiam, dummodo hæc ingens temeritas non fuerit, ab incurſu præſentis ſuſpenſionis liberare. Probatur, quia ut docent Vazquez 1. 2. *diſp.* 107. *cap.* 3. *à num.* 6. Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 48. *n.* 7. Barboſa *in Tridentin. ſeſſio.* 24. *cap.* 1. *de reform. n.* 159. cum aliis, quotieſcumque cenſuræ promulgantur contra illos, qui *ſcienter temerè, doloſè, aut contra contemptores, præſumentes*

*facere,*

*facere*, *vel temerarios violatores*, *aut qui auſi fuerint*, *&c.* Ut cenſuræ non incurrantur, ſufficit ignorantia ſupina, aut craſſa; qui enim ignorantia, licèt ſupina, aut craſſa operatur, non dicitur ſcienter, temerè, dolosè, audacia, auſu temerario, &c. operari. Immo Bonacina *de cenſuris diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *n.* 11. addit, ſufficere affectatam ignorantiam, ut cenſuræ non ligent, quando iſtæ ſub aliqua prædictarum formularum promulgantur, quamque Bonacinæ doctrinam probabilem proponit Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſolut.* 7. ſed ſic eſt quod cenſura præſenti Conſtitutione, in noſto caſuque promulgata, contrà eos qui irreligioſa audacia promovent, ac promoventur, fulminatur: ergo probabile eſt, qualibet ignorantia ab ejus incurſu liberari.

395. Minor conſtat ex præſentis Conſtitutionis Procemio, ubi ſic legitur: *Hinc eſt quod Nos ex commiſſæ nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere*, *abuſus*, *fraudes*, *ac ſcandala hujuſmodi pœnitus*, *& omnino*, *è medio tollere*, *ac irrelligioſam* (nota) *contra facientium audaciam*, *quantum Nobis ex alto conceditur*, *compeſcere*, *& reprimere volentes*, *&c.* ex quibus verbis liquido conſtat, quod mens Sanctiſſimi Innocentii eſt, cenſuris ſuſpenſionis, quas ſua, ac præſenti Conſtitutione, promulgat, compeſcere illos, ſcilicet, qui irreligioſa audacia præſenti diſpoſitioni contrafaciuut: cum ergo, dum cenſuræ promulgantur contra illos, qui cum audacia operantur, quælibet ignorantia, etiam ſupina, & craſſa, immo affectata, ab incurſu cenſurarum eximat, fit inde quod in noſtro caſu non ſit improbabile, quod ab incurſu præſentis ſuſpenſionis, qualibet ignorantia liberentur.

396. Nec obſtat, quod prædicta verba *irrelligioſa audacia* reperiantur in Procemio, & non in corpore Decretalis, nam ſufficit in Procemio reperiri, eis enim inibi poſitis, conſtat mentem Sanctiſſimi eſſe, compeſcere eos, qui irreligioſa audacia contra diſpoſitiones Canonicas, fraudibus machinatis, promoventur: Procemium enim viam totius Conſtitutionis, finemque & mentem diſponentis demonſtrat, Marius Curtelli, *de priſca, & recenti immunit. Eccleſ. tom.* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 1. *pag.* 7. *colum.* 1. *n.* 21. Barboſa *axiom.* 192. cumque cenſura in præſenti conſti-

tutione promulgata ipſos de quibus ante loquebatur, reprimere intendat, infertur, quod illos ſuſpendere intendit, qui irreligioſa audacia contra Sacros Canones, ac præſentem Decretalem, ad ordines promoventur.

397. Explicatur hoc doctrina, quam adducit Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 680. *n.* 1. ubi Conſtitutio Clementis VIII. quæ incipit *Poſtulat. æquitatis ratio. Bullari, tom.* 3. *pag. mihi* 53. in favorem creditorum præſentium, ac præteritorum edita, futuros Creditores etiam comprehendere docet, eo quod ratio proœmialis futuros etiam comprehendit: ſi enim in iſto caſu creditores, qui in corpore Conſtitutionis Decretalis non continentur, propter rationem proœmialem comprehenduntur, ſic dicendum in noſtro caſu, ſufficere ſcilicèt, quod illa verba *irreligioſa audacia* in Proœmio extent, ut intelligatur, quod cenſura ſuſpenſionis, quæ in corpore Decretalis promulgatur, fulminetur dumtaxat contra illos, qui irreligioſa audacia, contra præſentis Conſtitutionis diſpoſitionem ad ordines promoventur.

398. Illud enimvero innegabile, quod ſi Epiſcopus ſuum Familiarem, titulo Familiaritatis, vel alio quopiam, ad ordines promoveret contra diſpoſitionem præſentis Conſtitutionis, qualibet ignorantia id faceret, à ſuſpenſione per annum, præſenti clauſula ipſi inflicta, liberaretur; nam in prohibitione prædicto Epiſcopo facta, reperitur verbum *præſumat*, videndum ſupra *n.* 292. quodque contrafactores, quacumque faciant ignorantia, ab incurſu cenſurarum arcet, ut ex dictis conſtat, & in hac parte conſentit D. Lamperez *n.* 456.

## DUBIUM III. *Qui poſſit abſolvere à cenſuris ſuſpenſionis præſenti Conſtitutione inflictis.*

399. EXplicatis quando cenſuræ in præſenti Conſtitutione fulminatæ incurrantur, quæque ignorantia liberet, explicare reſtat, quis ab eis abſolvere valeat. Certum eſt à ſuſpenſione in præſenti clauſula indicta proprium Ordinarium abſolvere poſſe, ibi *Ordinatus vero à ſuſceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit*. Sed quid nomine proprii Ordinarii in præſenti intelligatur, expli-

explicare oportet, an ſcilicèt, ſicut nomine Epiſcopi proprii in præſenti intelligitur Epiſcopus originis, & domicilii dumtaxat, nonque Beneficii, ſic nomine proprii Ordinarii excludatur Beneficii Ordinarius, ſolumque comprehendat Ordinarium originis, & domicilii.

400. Reſpondetur, nomine Ordinarii proprii intelligi in præſenti Epiſcopum etiam Beneficii; ille enim eſt Ordinarius proprius ordinati, cui verè & propriè, in his, quæ ad ordines pertinent, ſubjicitur ipſe ordinatus; at ordinatus cum Epiſcopo alieno titulo Beneficii, verè, & propriè, in his quæ ad ordines pertinent, ſubjicitur ipſi Epiſcopo: ergo hic verus & proprius Ordinarius illius eſt, & ita docet Gobat, *tract. 8. caſ.* 18. *n.* 707. Undè quando Epiſcopus Beneficii alienus vocatur, intelligendum eſt, pro tempore, ad obtentionem Beneficii, antecedenti; hoc enim ritè obtento, ſicut obtinens eſt ſubditus proprius, ita Epiſcopus eſt ſuperior proprius, propriuſque Ordinarius. Sicut qui domicilium mutat ad Diœceſim, cujus originarius non eſt, illius, antequam domicilium obtineat, ſubditus proprius non eſt; domicilio verò obtento, ſubditus proprius ejuſdem Diœceſis efficitur: ſimiliter in noſtro caſu dicendum.

401. Similiter nomine proprii Ordinarii comprehenditur Prælatus nullius Diœceſis, ac Capitulum ſede vacante: Primus enim habet juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut colligitur *ex Clementina Monaſteriorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, & ibi Gloſ. V. proprii*, ac proinde ſui Territorii Ordinarii proprii ſunt: Secundus autem in juriſdictione ordinaria ſuccedit Epiſcopo, ex dictis *n.* 368. ergo & Ordinarius proprius erit. Inſuper nomine proprii Ordinarii comprehenditur Vicarius Generalis Epiſcopi, vel Capituli Sede vacante, ut docet Gobat *tract.* 10. *caſ.* 13. *n.* 503. competit enim ipſis quidquid Ordinariis conceditur, niſi expreſſe excludantur, Barboſa *in Trident. ſeſſio* 24. *cap.* 6. *de reformat. num.* 67.

402. Ex quo infertur, quod præſcribere tempus duraturæ ſuſpenſionis in ſubdito, qui contra præſentis Conſtitutionis diſpoſitionem ad ordines promotus fuit, quæque temporis duratio, præſenti clauſula, proprio Ordinario committitur, pertinet ad Epiſcopos originis, domicilii, ac Beneficii, non omni-

bus

bus ſimul, ſed qui primò cauſam inchoavit, ex dictis *à n.* 352. ſemel autem, quod tempus duraturæ ſuſpenſionis declaraverit, nequit alter ſe ingerere, ex inibi dictis. An autem declarare valeat Epiſcopus prædictũ tempus, dum ejus ſubditus extra ſuam Diœceſim exiſtit, verius videtur non poſſe, & colligitur *cap. ut animarum, de Conſtitutionibus in 6.*

403. Pertinet inſuper prædicta temporis præſcriptio Prælatis nullius Diœceſis, Capitulo Sede vacante, Vicario Generali Epiſcopi, ac Vicario Capituli Sede vacante: omnes enim iſti ſunt proprii Ordinarii, unde licèt iſti inquirere non poſſint ex dictis *à n.* 363. præſentem tamen declarationem præſtare valent; nam facultas inquirendi conceditur ſolis Epiſcopis originis, vel domicilii; facultas autem declarandi tempus duraturæ ſuſpenſionis propriis Ordinariis conceditur, & prædicti omnes proprii Ordinarii ſunt, ex ſupra dictis. Semel autem quod Epiſcopus prædictum tempus præſcripſit, nequit ejus Vicarius Generalis iterum declarare, nec è contra; cenſetur enim eadem utriuſque juriſdictio. His prælibatis.

404. Circa abſolutionem, quæ principalis ſcopus hujus dubii eſt, ſciendum eſt, quod abſolutio præſentis ſuſpenſionis tribui poteſt juriſdictione propria, vel per privilegium, V.G. Cruciatæ, aut alterius. Circa primam dicendum, quod ſuſpenſio, in quam Epiſcopus incurrit ordinans, quaque per annum à collatione ordinum ſuſpenditur, anno terminato, abſque alia abſolutione, aboletur: Ante elapſum autem annum à ſolo Pontifice abſolvi valet. Palao *de cenſuris, diſp.* 4. *punct.* 9. *n.* 2.

405. Suſpenſio autem quæ ab ordinato incurritur, & quæ, quamdiu proprio Ordinario expedire videbitur, perſeverare debet, tempore durationis, ab ipſo Ordinario præſcripto, elapſo, abſque alio abſolutione ablegatur: Antequam vero prædictum tempus terminetur, abſolvi poterit à Pontifice, ab Ordinario, qui tempus durationis præſcripſit, ab ejuſque ſucceſſore. Palao citat. *n.* 9. Enriquez *lib.* 13. *cap.* 35. *n.* 2. Iſti enim Auctores docent, quod quando ſuſpenſio eſt ab homine, abſolvi valet ab imponente, ejuſque ſucceſſore: ergo cum temporis præfinitio in noſtro caſu ſit ab homine, id ſufficiet, ut à ſucceſſore prædicta ſuſpenſio abſolvi valeat.

416. An

406. An autem quilibet Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ prædictam ſuſpenſionem abſolvere valeat, non eſt in præſenti ſuſpenſione peculiaris difficultas reſpectu aliarum ſuſpenſionum, undè ea doctrina, quæ reſpectu aliarum ſuſpenſionum communis eſt apud Doctores, circa poteſtatem confeſſarii ad eas abſolvendas, ſuſpenſioni præſenti coaptari poterit. Vide Palaum, *part. 4. tract. 25. diſp. unic. de Bul. Cruciat. punct. 8. §. 4. n. 8. & 9.* Trullench. *in Bul. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 10.*

407. Adnotandum eſt tamen, ſemel quod aliquis Ordinarius ſuſpenſionem declaraverit, præfinieritque tempus, quo perſeverare debet, nequit alter Ordinarius, in noſtro caſu, abſolutionem intra dictum tempus impertire; ſicut enim primus juriſdictionem præveniendo, ita alium excluſit, ut condemnare non poſſit, ſic etiam ita illum excludit, ut abſolutionem impertire non valeat; hææ enim Juriſdictiones taliter ſunt connexæ, ut cujus eſt ligare, ipſius ſit & abſolvere, *Cap. verbum Dei, de Pœnitentia. diſtinct. 1. leg. nemo. ff. de regul. jur.*

# FINIS.

# INDEX

## QUÆSTIONUM ET DUBIORUM.

TItulus Beneficii, pag. 1.
QUÆSTIO I. *Quale debeat eſſe Beneficium, ut quis poſſit ad ordines promoveri ab alieno Epiſcopo,* pag. 4.
Dubium I. *Utrum qui in aliena Diœceſi obtinuit Beneficium, non habens alios reditus, præter Diſtributiones, poſſit ab Epiſcopo talis Beneficii ad ordines promoveri,* ibidem.
Dubium II. *An qui in aliena Diœceſi obtinuit Beneficium tenue, poſſit ab Epiſcopo talis Beneficii ad ordines promoveri, ſupplendo defectum altero Beneficio in eadem Diœceſi obtento,* pag. 6.
Dubium III. *Num Epiſcopus Beneficii poſſit ſupplere Beneficio in aliena Diœceſi obtento.* pag. 8.
Dubium IV. *An ſupplemento cum Patrimonio ab Epiſcopo proprio peracto, poſſit alienus illum promovere, qui in ſua Diœceſi tenue Beneficium obtinuit,* 12.
Dubium V. *An Epiſcopus Beneficii onera ipſius Beneficii Patrimonio ſupplere valeat,* 14.
Dubium VI. *An DD. Epiſcopi promovere valeant alienos ſubditos titulo Cappellaniæ perpetuæ in ſuis Diœceſibus inſtitutæ,* 19.
Dubium VII. *An DD. Epiſcopi promovere valeant alienos ſubditos titulo Cappelaniæ collativæ Vitalitiæ, in ſuis Diœceſibus erectæ,* 21.
Dubium VIII. *Utrum titulo Cappellaniæ, patronatus purè laicalis poſſit quis ad ordines promoveri.* 26.
Dubium IX. *De Præſtimoniis, aliiſque titulis,* 29.
Dubium X. *Utrum ad titulum Sufficientiæ quis promoveri valeat,* 31.
Dubium XI. *An qui ante præſentem Conſtitutionem ſacris initiari cœpit, contra ejuſque diſpoſitionem, poſt promulgationem continuare in ordinibus valeat,* 34.
Dubium XII. *An idem dicendum de eo, qui Dimiſſorias dumtaxat ad Hypodiaconatum obtinuit,* 36.
Titulus Originis, pag. 39.
QUÆSTIO II. *Qualiter titulus originis intelligendus, ut quis poſſit ordinibus initiari,* pag. 40.
Dubium I. *An quando Pater domicilium contrahit in oppido alicujus Diœceſis, & filius caſualiter natus eſt in alio ejuſdem Diœceſis, filius ſit originarius ejuſdem Diœceſis,* ibidem.
Dubium II. *Cujus Epiſcopi erit Originarius ad ordines filius fortuito natus extra Diœceſim paterni domicilii,* pag. 43.
Dubium III. *Doctrina præcedentis dubii variis caſibus occurritur,* pag. 47.
Dub. IV. *An Baptiſmus in aliquo caſu originem ad ordines tribuere valeat,* pag. 50.
Dubium V. *Utrum diſpoſitio præſentis Conſtitutionis de origine filii ex accidenti nati, locum habeat caſu, quo Pater ex accidenti enim natus fuerit,* pag. 52.

Du-

Dubium VI. *Quæ erit origo filii ex accidenti nati, caſu quo locus in quo pater natus eſt, vel Epiſcopo caret, vel eſt Schiſmaticus*, pag. 53.
Dubium VII. *An filius natus ex accidenti in aliquo loco, ſit ejuſdem originarius, patre in alio loco, ejuſdem Diœceſis, domicilium contrahente*, pag. 54.
Dubium VIII. *Quo tempore domicilium à patre contrahendum eſt in loco caſualis nativitatis filii, ut iſte originarius maneat ejuſdem Loci*, pag. 55.
Dubium IX. *Utrum ſemel à patre domicilio in loco caſualis nativitatis filii contracto, ſi pater mutet domicilium, filius originem ejus loci amittat*, pag. 58.
Dubium X. *De origine filii nati tempore, quo pater eſt in animo in alia Diœceſi domicilium contrahere*, pag. 61.
Dubium XI. *De origine illegitimorum*, pag. 62.
Dubium XII. *De origine expoſitorum, ac Derelictorum*, pag. 64.
Dubium XIII. *De libertorum origine, & Libertinorum*, pag. 68.
Dubium XIV. *De origine Subditorum nullius Diœceſis*, pag. 70.
Titulus Domicilii, pag. 74.
QUÆSTIO. III. *De domicilio ad ordines requiſito, juxta Conſtitutionem Sanctiſſimi Innocentii XII.* 76.
Dubium I. *Quibus modis domicilium habitationis acquiratur, & an omnes ſub præſenti Conſtitutione comprehendantur*, ibidem.
Dubium II. *An quando pater domicilium in alia Diœceſi contrahit, ipſumque filius in minori ætate ſequitur, teneatur hic conditiones præſentis Conſtitutionis explere, ut eo titulo ad ordines promoveri valeat*, pag. 78.
Dubium III. *An licitè quis poſſit domicilium mutare, eo principaliter fine, ut ab Epiſcopo novi domicilii promoveatur*, pag. 80.
Dubium IV. *Quis temporis tranſcurſus erit neceſſarius, ad verificandum eſſe conſiderabilem*, pag. 81.
Dubium V. *An ſufficiat tempus conſiderabile diſtribuiſſe in diverſis oppidis, ejuſdem tamen Diœceſis*, pag. 84.
Dubium VI. *An attenta præſenti Conſtitutione duo domicilia ſimul componi poſſint in diverſis Diœceſibus*, pag. 85.
Dubium VII. *Quæ bona transferenda ſunt ad locum domicilii, ut domicilium acquiſitum eſſe cenſeatur*, pag. 87.
Dubium VIII. *An præſenti diſpoſitioni de jurejurando fiat ſatis, falſum jurando*, pag. 90.
Dubium IX. *Secundus, ac tertius ſenſus propoſitæ difficultatis diſolvitur*, pag. 96.
Dubium X. *An licitè juret, qui reſtrictione, ſcilicèt, quod in eo loco permanebit, quouſque alius commodior, non ſe offerat, jurat*, pag. 99.
Dubium XI. *An pro domicilio ad ordines acquirendo, ſufficiat animum in eo loco perpetuò permanendi, pro tempore juramenti, habere, licet pro antecedenti non habuerit*, pag. 100.
Dubium XII. *De ætate requiſita, ut ordinandus Teſtimonialibus egeat*, pag. 105.
Dub. XIII. *De litteris Teſtimonialibus Epiſcopo Beneficii præſentandis*, pag. 109.
Titulus Familiaritatis, pag. 112.
QUÆSTIO IV. *De facultate qua Domini Epiſcopi, quo ad ordinandos*

*ſuos*

*ſuos familiares , gaudent , terminis Conſtitutionis Sanctiſſimi Innocentii XII. ſtando ,* pag. 113.
Dubium I. *An præſens Conſtitutio familiares Cardinaliū comprehendat,* pag. 114.
Dubium II. *An titulo familiaritatis Domini Epiſcopi ſuos familiares alienæ Diœceſis ſubditos ad Clericalem tonſuram promovere valeant ,* pag. 116.
Dubium III. *An ſi Beneficium , quod Epiſcopus ſuo familiari confert, ſit tenue, poſſit Patrimonio ipſum ſupplere ,* pag. 118.
Dubium IV. *Aliæ illationes circa materiam præſentem proponuntur,* pag. 123.
Dubium V. *An Domini Epiſcopi promovere valeant familiares triennales , qui tamen in ejus actuali ſervitio non ſunt ,* pag. 124.
Facultas inquirendi , pag. 127.
QUÆSTIO V. *De facultate inquirendi , qua gaudent Domini Epiſcopi proprii reſpectu ſuorum ſubditorum, qui ab alienis Epiſcopis promoti fuerunt, ibidē.*
Dubium I. *Qui Epiſcopi , quorumque ſubditorum inquirere valeant , juxta præſentem diſpoſitionem ,* pag. 129.
Dubium II. *De uſu juriſdictionis inquirendi ſubditos .* pag. 134.
Dubium III. *An Prælati nullius Diœceſis , vel Capitulum Sede vacante inquirere de ordinibus ſubditorum valeant ,* pag. 138.
Pœnæ impoſſitæ , pag. 141.
QUÆSTIO VI. *De pœnis ſtatutis , adverſus eos , qui præſenti diſpoſitioni in totum, vel in partem contraveniunt ,* ibidem.
Dubium I. *Quando, & quomodo prædictæ pœnæ incurrantur ,* ibidem .
Dubium II. *Quæ ignorantia eximat ab incurſu pœnarum præſenti Conſtitutione indictarum ,* pag. 147.
Dubium III. *Quis poſſit abſolvere à Cenſuris ſuſpenſionis , præſenti Conſtitutione inflictis ,* pag. 150.

Digitized by Google